AUTHOR:

BACH, JOSEPH

TITLE:

DE VSV PRONOMINVM DEMONSTRATIVORVM...

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1888

Master Negative #

93-81331-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.57
Z8
v.1

Bach, Joseph.
De vsv pronominvm demonstrativorvm apvd priscos scriptores Latinos; particvla prima ... scripsit Iosephvs Bach ... Argentorati, 1888.
66 p. 21 cm.

Thesis. Strasburg.
At end: Reliqua propediem edentur in Studemundi studiis II apud Weidmannos Berolinenses.
Volume of theses.

22162

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/27/93 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

VSV PRONOMINVM DEMONSTRATIVORVM

APVD

PRISCOS SCRIPTORES LATINOS

PARTICVLA PRIMA

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOSEPHVS BACH
RHENANVS

ARGENTORATI
MDCCCLXXXVIII

Cum hæc dissertatio a. MDCCCLXXXV typis exscripta esset commentationibus et editionibus, quæ his quattuor annis publici iuris factæ sunt, uti mihi non licuit, cuius rei ueniam peto.

Quamuis dudum homines docti intellexerint eam inter pronomina quae dicuntur demonstratiua differentiam intercedere, ut *hic* sit pronomen dem. primae, *iste* secundae, *ille* tertiae personae, si terminis grammaticis uti licet, tamen de eorum usu et ui non pauca falsa commenti sunt, rati illa pronomina ita referri ad certas personas, ut *hic* denotet res aut praesentes aut propinquas, *ille* res aut remotas aut praeteritas, *iste* certas qualitates, imprimis eas, quae ad personam appellatam spectent (cf. cum alios grammaticos tum Reisig-Haase *Vorl. ueber lat. Sprachw.* inde a § 207). Sed cum permulta praesto sint exempla, ubi *hic* respicit ad praeteritum aliquid, *ille* ad rem praesentem, opinio illa extitit pronomina miro quodam modo inter se confusa et aliud pro alio positum esse (uide e. g. Lorenz ad Plauti Most. 541. 913. Mil. 132. Pseud. 304; cf. etiam Grysar *Theorie d. lat. Stils* p. 78 adnot. 2). Quae cum ita sint, operae pretium est accuratius in ea pronomina inquirere; quam quaestionem cum difficillimum sit per omnes linguae Latinae aetates persequi, equidem suadente Guil. Studemundo praeceptore meo, qui quod summa comitate codicum a se collatorum et imprimis palimpsesti Plautini[1]) lectiones mecum communicauit et in opere conficiendo me adiuuit, gratias amplissimas ago, qualis eorum pronominum usus et uis sit apud priscos poetas Latinos, certioribus finibus circumscribere conabor. Atque adicienda est quaestio de *is* pronomine, quippe cuius usus cum illis artissime cohaereat. In hoc autem opusculo me non omnia

---

1) In libris indicandis A^{st} significat codicis Ambrosiani apographum Studemundianum, B^{st} Veterem Camerarii a Studemundo collatum.

exempla colligere potuisse per se intellegitur, cum haec pronomina, qui est eorum usus in sermone cottidiano et uulgari, apud poetas scaenicos saepissime occurrant. Immo id egi, ut ex tanta exemplorum copia ea eligerem, quibus maxime eorum uis cognosceretur uel quae opinioni meae repugnare uiderentur. Sed cum etiam in horum numero ingenti nonnulla me effugere potuerint, uenia hominum doctorum mihi petenda est, si unum alterumue oculos meos fefellerit.

Materiam autem ita distribuere mihi liceat, ut priore libro agam de horum pronominum usu et ui, altero de *eccum eccillam* etc. formis compositis.

LIBER PRIOR.

Pronominum demonstratiuorum uis ea est, ut *hic* proxime accedat ad *meus* et *noster*, *iste* ad *tuus* et *uoster*, *ille* ad tertiae personae pronomen possessiuum, quod deest in lingua Latina. Atque hanc inter pronomina illa intercedere quasi necessitudinem ex eo apparet, quod *ne* particula affirmatiua[1]) constanter apud Plautum Terentiumque ponitur ante pronomina personalia et demonstratiua *hic iste ille* et semel (Pers. 427) ante pronomen possessiuum, quae exempla collegit Fleckeisen in dissertatiuncula, quam inscripsit 'Plautinische Analekten' (Philol. uol. II p. 57 sqq.), numquam ante alia uocabula, quod ut refutaret non contigit G. Hermanno in Philol. uol. III p. 460 sqq.[2]). Sed de singulis pronominibus disseram singulis capitibus.

---

1) De *egone tune tibine men ten hicine haecine hocine nuncine* etc. cf. Minton Warren 'on the enclitic *ne* in early latin' Argentorati 1881.

2) Ne ante *is* quidem pronomen ponitur, quam falsam collocationem duobus locis homines docti Plauto obtruserunt. Vssing enim Bacch. 1200 (V 2, 84) edidit *Tua sum opera et propter te improbior. — Ne eius quam mea mauellem;* ubi codicum quidem scripturam (*Ne is quam mea mauellem* B, *neisquã Meã uellẽ* CD) corruptam esse apparet; nec tamen *eius* aptum uidetur, cum quasi noua pars orationis ordiatur, uerum Bacchidi, si Nicobuli filium denotare uoluit, aut eius nomen pronuntiandum aut *illius* dicendum erat: uide infra, ubi de *ille* pronominis ui disputabo. Mihi quidem recte uidentur cum Schneidero recentiores scripsisse *Ne ⟨t⟩is quam mea mauellem.* Bacchis enim ludit castigatque senem dicens eum sua culpa factum esse improbiorem. Praeterea Luchs (Genetivbildung p. 35) Most. 985 proposuit *Édepol ne eius patris me misere miseret:* A autem exhibet *Édepol né me eiús patris mísere míseret*, quem accentum (*eiús*) ferri non posse Luchs l. l. monuit, BCD *ne* et *misere* omittunt; Ritschl scripsit *Édepol né me eius pátris ⟨nunc⟩ mísere míseret;* fortasse Ambrosiani lectio ita seruanda est, ut pro *me* legatur *med* eoque modo *eius* monosyllabum fiat.

Caput primum.

De *hic* pronomine.

Hic igitur est pronomen πρωτότριτον, i. e. significat constanter certam uel rem uel personam, quae aliquo modo cum persona loquenti cohaeret.

Quo fit, ut *hic* praeter uim demonstrandi saepissime idem significet atque pronomen possessiuum *meus* uel *noster*, idque uulgo fit in designandis corporis partibus: ueluti *haec manus* est *mea manus, quam ego ostendo:*

Trin. 541 *Oues scabrae sunt, tam glabrae, em, quam haec est manus;* cf. Amph. 312; Pers. 225; Curc. 725. 726. Contra *meus* locum habet Bacch. 596 *Ita dentifrangibula haec meis manibus gestiunt;* cf. Epid. 353, qui uersus spurius habetur, et 367; Ribbeck Trag. p. 238, 28; Pers. 691 *Hunc in collum, nisi piget, Inpone* (id est 'in meum collum'; sine iusta causa Ritschl scripsit *huc;* quamquam in A^{st} paulo probabilius est *huc* quam *hunc* extitisse); cf. Caecil. Stat. 56 (Ribb. Com. p. 44).

Pers. 430 *Nisi me haec* (sc. *lingua*) *defendet, numquam delinget salem;* Curc. 706; Mil. 374 *Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi exfodiri* (ita Mueller Pr. Pl. p. 215 adn.); cf. Mil. 368 (*his quidem . . . oculis*); Merc. 831 (*hic pes*).

Stich. 751 *Vapulat peculium. actumst. fugit hoc libertas caput;* Bacch. 1102 *Perii, hoc seruom meum non nauci facere esse ausum*, ubi ad *hoc* suppleo *caput canum*, quod in proximo

uersu praecedit; cf. Most. 201 et imprimis Aul. 425 sq., ubi *hoc* pronomini respondet *tuum* possessiuum:

Sine. at hércle cúm magnó maló tuo, si hóc capút séntit. —
Pol ego haúd sció, quid póst fuát: tuom núnc capút séntit.

Eodem nescio an pertineat:

Pacuu. 340 (Ribb. Trag. p. 120) *Quamquam ánnisque et aétate hoc córpus putrét.*

Quae exempla aliquantum ualent ad sanandum locum Plautinum, qui uidetur corruptus esse:

Rud. 691 (III 3, 29) *Sedéte hic módo: ego hinc uós tamén tutábor. áram habéte hanc*
Vobís pro cástris. moénia ⟨haéc⟩. hinc égo uos défensábo.

Vbi cum *hinc ego uos defensabo* uerba eandem habeant uim atque *ego hinc uos tamen tutabor*, alterum aduerbium *hinc* recte in suspicionem uocauit Studemundus in scholis, atque equidem propono *hisce* sc. 'manibus' uel 'pugnis', ut hoc promittat Trachalio: 'corpus meum uobis erit pro moenibus, et manibus meis uos defensabo'. Saepius autem ad *haec* uel *hic* supplendum est 'manus' uel 'pugnus': cf. Capt. 668; Curc. 726; Epid. 10. 689.

Haec inter *hic* pronomen et primam personam necessitudo maxime elucet ex eo, quod *hic homo* (uel *hic* cum alio substantiuo coniunctum) designat ipsum eum qui loquitur (= ego):

Bacch. 640 *Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro.*

Trin. 1115 *Hic homost omnium hominum praecipuos,*
Voluptatibus gaudiisque antepotens.

Pseud. 939; Curc. 248; Epid. 141; Ter. Haut. 13. 356.

Cas. II 5, 23 *Vnus tibi hic dum propitius sit Iuppiter,*
Tu istos minutos caue deos flocci feceris.

Trin. 172 *Fecisset edepol, ni haec praesensisset canes.* cf. Poen. 1236.

Merc. 996 *Hunc senem para clientem.*

Capt. 865 *Proin tu déum hunc sáturitáte fácias tránquillúm tibi* (*tu deum* codd., *deum tu* Brix in append. crit.; *diuom hunc* uel potius *hunc diuom* dedisse Plautum suspicatur Studemundus).

Poen. 358 *Sed uide sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.*

Poen. 647 *Cum praeda hic hodie incedet uenator domum.*

Truc. 295 *Pessumae estis. — Quid est quod uobis pessumae haec malefecerint?*

Curc. 117 *Lumen hoc uide* (i. e. me qui sum tibi lumen). cf. Bacch. 86. 1140. 1142; Amph. 615; Pseud. 1144. 1146; Ter. Phorm. 345; Adelph. 906.

Idem pronominis prototriti usus inest in his uersibus:

Merc. 122 CH. *Mali nescio quid núntiát.* AC. *Genua húnc cursórem déserúnt.*
Perii: seditionem facit lien, occupat praecordia.

Priorem uersum totum Ritschl et Goetz continuant Charino, qui Acanthionem accurrentem uidet; libri autem rectissime, opinor, uerba *genua . . . deserunt* Acanthioni tribuunt; nam *hunc cursorem* est 'me qui curro'; seruus enim properans describit se maxime defatigatum esse ita, ut singulas corporis partes, quae se deficiant, enumeret, quae sunt genua lien praecordia.

Bacch. I 2, 50 = 158 PI. *Satis historiarumst.* LY. *Hic uereri perdidit.*
161 *Conpendium edepol haud aetati optabile*
162 *Fecisti, quom istanc nactu's inpudentiam.*
159 *Occisus hic homost. ecquid in mentemst tibi*
160 *Patrem tibi esse?* PI. *Tibi ego an tu mihi seruos es?*
163 LY. *Peior magister te istaec docuit, non ego.*

Hunc uerborum ordinem bene praebent codices. Vssingius arbitratur Lydum commoto animo modo secum (i. e. ad spectatores

conuersum) uerba facere, modo Pistoclerum adulescentem adloqui; at si quis pluribus adloquitur spectatores, solet aut in initio orationis aut in exitu ad eos uerba conuertere; quod cum intellexisset R. (i. e. Ritschelius) uersus transponendos esse censuit. Verum nulla mutatione opus est; etenim ut *perii occidi occisi sumus* (uide u. 681) *occisast haec res* referenda sunt ad personam, quae de suis ipsius rebus conqueritur, ita etiam *occisus hic homost* nihil aliud est atque *occidi* (*ego*). Quod optime quadrat ad sententiarum seriem: primum enim Lydus loquitur de adulescente ita quidem, ut *hic . . . perdidit* uerba fiant ad spectatores, sequentia *conpendium . . . inpudentiam* ad adulescentem ipsum, deinde se ipsum profitetur maxime infelicem esse, cum opera sua irrita sit (cf. uu. 132. 380. 484), tum adulescentem monet, ut patris meminerit. Cum uero adulescens in pertinacia perseueret, Lydus denuo in eum inuehitur uu. 163 sqq.[1]).

Rarissime uel numquam *hic* nude positum idem est atque *ego*:

Capt. 152 uulgo legitur: HE. *Nunc habe bonum animum.* ER. *Eheu: huic illud dolet;* sed cum Gepperto et Spengelio (Philol. XXXVII p. 423) secundum BDEJ *Eheu* solum Ergasilo, uerba *huic illud dolet* Hegioni tribuenda sunt, ita ut *huic* sit 'Ergasilo'. Brixius uulgarem lectionem secutus *huic* ita interpretatur, ut sit uel *mihi* uel *uentri meo*, id quod statui potest Pers. 330.

Merc. 998 *Pérgin tu autem? heiá, superbe inuehere* (*hia* CD; *huc* B; *eia* editio princeps; *autem in hunc superbe inuehere?* Bothe uix probabiliter). Fortasse alia opus est medella.

Poen. 1271 *Tandem huic cupitum contigit* (*huic* non tantum potest esse *mihi*, sed etiam Hannoni).

---

1) Hic usus etiam apud posteriores scriptores deprehenditur ueluti apud Horatium: carm. III 10, 19 *Non hoc semper erit liminis aut aquae*
Caelestis patiens latus (*hoc latus* = meum l.);
sat. I 9, 47 *Hunc hominem uelles si tradere* (= me).
Sed carm. III 5, 37 *hic* idem atque *ego* esse uix recte statuit Reifferscheid in ind. lect. Vratislau. 1879/80 p. 5 sq.

Ter. Andr. 310 *Tu si hīc* (i. e. meo loco, auctore Bentleio) *sis, aliter sentias*, quem locum alii sic explicant, ut *hĭc* sit 'ego'; uide Handii Turs. III p. 82 et Klotzii adnotat. ad Ter. Andr. II 1, 10.

Atque etiam cum aliis substantiuis coniunctum *hic* idem significat quod *meus* uel *noster*, ubi simul exprimitur personam loquentem modo de ea re dixisse uel dicturam esse:

Cist. I 1, 24 *Decet pol, mea Selenium, hunc esse ordinem*
beneuolentes inter se beneque amicitia utier.

(*hunc ordinem* = nostrum i. e. meretricium ordinem).

Amph. 852 *Numquid causam dicis, quin te hoc multem*
matrimonio?

Trin. 507 *Sed si haec res grauiter cecidit stultitia mea,*
Philto, est ager sub urbe nobis

(*haec res* = 'mein Vermögen' interpretatur Brix ad 172).

Capt. 539 *Occisast haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam;* ubi *occisast haec res* plane idem est atque *mea res periit* uel *ego perii.* cf. Pseud. 423. 985 (cf. Lorenz ad Pseud. 403). Prorsus eodem sensu usurpatur *noster* Most. 350 *Occidit spes nostra*, ubi pro *nostra* dici licuit *haec.*

Rud. 683 *Nisi quid re praesidi adparas, Trachalio, acta*
haec res est.

Neque aliter *hic* (= *meus* uel *noster*) ad primam personam referendum est in his exemplis, ubi uulgo creditur *hic* pronomine denotari praesens tempus, quam significationem concedendum est ipsam quoque eo pronomine contineri, ita tamen ut uis possessiua fortior sit temporali:

Aul. 267 *Id inhiat, ea adfinitatem hanc obstinauit gratia.*

Bacch. 56 *Nam huic aetati non conducit, mulier, latebrosus locus* (*huic aetati* = nostrae aetati). cf. Merc. 549; Trin. 787. 1090; Bacch. 1090.

Amph. 736 *Vera dico. — Non quidem hercle de hac re* (= de nostra re, de qua agitur). Capt. 781; Trin. 233.

Epid. 730 *Inuitus do hanc ueniam tibi* (= ueniam, quam ego do). Cas. V 4, 26.

Hecyr. 605 *Mi gnate, da ueniam hanc mihi* (= ueniam quam ego expeto). cf. Cas. V 4, 21; Bacch. 1198; Amph. 924.

Epid. 338 *Per hanc curam quieto tibi licet esse.*

Bacch. 350 *Exorsa haec tela non male omnino mihist.* cf. 366. 764.

Trin. 578 *eadem haec confirmabimus* (= nostras res, quas nos agimus).

Trin. 580 *Dic hoc negoti quomodo actumst* (= meum negotium quod ego habeo). Cist. II 3, 51.

Capt. 250 *est nobis spes in hac astutia;* Truc. 810; Poen. 622; Merc. 126. 252. 358. 704. 911; Pers. 761.

Stich. 169 *eius ex semine haec certost fames.*

Stich. 176 *Propter pauperiem hoc adeo nomen repperi* (= meum nomen, quod ego modo pronuntiaui).

Poen. 854 *Si futurumst, do tibi operam hanc* (= ego do tibi meam operam, quae postea describitur). Merc. 447; Pers. 233; Men. 663; Ter. Phorm. 62[1]).

Pers. 48 *Resecroque te, operam da hanc mihi fidelem* (*operam hanc* = operam quam ego expeto abs te; potest etiam esse = operam in hac re, quam ego ago, de qua loquimur).

Men. 471 *Non hercle ⟨ego⟩ is sum, qui sum, ni hanc iniuriam*
Meque ultus pulcre fuero (*hanc iniuriam* = iniuriam mihi inlatam).

Merc. 991 *Supplici sibi sumat quod uolt ipse ob hanc iniuriam* (iniuriam quam ego feci).

---

1) Pseud. 104 sq., qui uersus uariis temptati sunt coniecturis (uide Seyffert in Philol. XXV p. 447 sq.; Lorenz in Philol. XXXV p. 157; Mahler De pron. person. ap. Plautum collocatione p. 29), possit quispiam haec proponere:

Spero álicunde hódie mé bona ópera aut hác malá [scil. opera]
Tibi ínuentúrum esse aúxilium árgentáriúm (pro *hac mala* exhibent *haec* (uel *hec*) *mea* BCD, *hoc mea* Ast), quibus significatur: 'tibi argentum parabo aut honesto modo aut mea (quae mihi propria est) mala opera i. e. quouis modo'; sed grauiorem corruptelam latere persuasum habeo.

Cist. I 2, 2 *Quae hunc quaestum facimus* (= nostrum). cf. Pers. 61.

Most. 146 *Atque edepol ita tigna umide haec putent, non uideor mihi*
Sarcire posse aedis meas.

Most. 165 *periere haec oppido aedes* (*haec aedes* idem est atque *aedes meae* 147).

Pers. 143 *exigam hercle ego te ex hac decuria* (= nostra).

Pers. 373 *ego de hac sententia Non demouebor.*

Pers. 384 *Ne haec fama faciat repudiosas nuptias.*

Bacch. 903 *Hodie exigam aurum hoc?* i. e. aurum meum, quod mihi debetur a uobis, quod ego postulo. Simile est

Pers. 133 *⟨Si⟩ itast, hoc tu mihi reperire argentum potes* i. e. argentum, cuius ego indigeo.

Naeu. 74 (Ribb. Com. p. 19) *Quanto libertatem hanc hic superat seruitus.* Item *haec aerumna* plane est mea aerumna Acc. 352 (Ribb. Trag. p. 181) et Caec. Stat. 86 (Ribb. Com. p. 50). Atque *haec fabula* (uel *comoedia* uel *tragoedia*) constanter est nostra fabula, quam nos agimus (uel egimus) ueluti Amph. prol. 15. 51. 52 sq. 54. 59. 88. 94; Trin. prol. 18; Merc. prol. 5; Mil. 86; Asin. prol. 10; Capt. prol. 54 et passim. Neque minus in prologis Terentianis poeta ipse significatur pronomine *hic* i. e. *noster poeta:* Phorm. prol. 19; Eun. prol. 3. 35; Haut. prol. 18. 23; Adelph. prol. 10. 18.

Concedendum tamen est saepius relationem ad locum praesentem coniunctam esse cum ui possessiua:

Epid. 470 *Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro* i. e. ex meo agro; an = ex agro Attico?

Merc. 781 *Haec uasa aut mox aut cras iubebo abs te peti* (= nostra uasa, quae hic sunt). cf. Merc. 832. 869.

Merc. 908 *Sed quin ornatum hunc reicio?* (= meum ornatum).

Truc. 596 *huius pater pueri illic est.* i. e. mei pueri qui apud me est.

In formula autem *sequere hac* (*i hac mecum*), quae sescentiens occurrit, per *hac* pronomen non tam generaliter *uiam quae*

hic est quam *meam uiam* i. e. *qua ego iturus sum* significari apparet ex *me* pronomine plerumque ad hanc formulam addito: Trin. 1 *Sequere hac me, gnata;* 577 *I hac, Lesbonice, mecum;* exempla uide congesta a Seyfferto Philolog. XXIX p. 401, a Lochio *Zum Gebrauch des Imperativus bei Plautus* p. 15, a Kellerhoffio in Studemundi Studiis in priscos script. Lat. II p. 83 sq.[1]). Si autem denotatur uia, in qua uersatur persona altera, quae appellatur, dicitur *istac* (= tua uia, in qua tu astas): Pers. 444 *Abi istac trauorsis angiportis ad forum.* Epid. 660 *Thesprio, exi istac per hortum.* Quodsi significatur ea uia, in qua neque is uersatur qui loquitur neque is ad quem uerba fiunt, ponitur *illa* (*illac*), quamuis ea uia proxime absit: Most. 931 *Nunc ego me illac per posticum ad congerrones conferam;* cf. Most. 1045; Merc. 1009; Pers. 679.

Ita *huius modi* (*ad hunc modum, ad hoc exemplum* etc.) constanter est *mei modi* i. e. uel 'ut ego nunc facio' uel, id quod rarius fit, 'ut ego dico' (uel 'dicam'):

Curc. 204 *quaeso ad hunc modum Inter nos amore utemur semper surrepticio?* cf. Bacch. 510; Capt. 1033; Rud. 195; Pseud. 1273. 1277; Poen. 1272 sq.; Trin. 795.

Aul. 50 *Vtinam me diui adaxint ad suspendium*
Potius quidem quam hoc pacto apud te seruiam.
i. e. ut ego seruio.

Pers. 335 *Ea causa ad hoc exemplum te exornaui ego* i. e. meo exemplo ut ego exornaui. Merc. 265; Rud. 488.

Aul. 69 *ita me miseram ad hunc modum Decies die uno saepe extrudit aedibus* i. e. ut ego extrudor.

---

1) Cum constanter dicatur *sequere hac* (*me*), non *sequere huc me*, non ferendum est, quod codices BCD exhibent

Merc. 542 *Nihil est, sequere sis huc me . diem unum orauit.*

Sed potius scribendum est cum Ast et Goetzio:

. . . . . . *Nihil est: sequere sis. hunc me diem unum orauit*
Vt apud me praehiberem locum, ideo quia uxor rurist.

Seyffert l. l., cum illud uitium animaduertisset, pro *huc* emendare uoluit *hac;* at Ambrosiani lectio praeferenda est; cf. anonymus in ind. philol. Gotting. V p. 251.

Most. 589 *Multos me hoc pacto iam dies frustramini* i. e. 'ut ego fallor'; pro quo si *istoc pacto* Plauto placuisset, esset 'uestro modo, ut uos me frustramini'. cf. Curc. 695; Bacch. 447; Amph. 941; Mil. 1023.

Bacch. 65 *Quid ego metuam, rogitas? adulescens homo Penetrare huius modi in palaestram, ubi damnis desudascitur.* (*huius modi* = de qua ego uerba faciam).

Similiter *huius modi* etc. significat 'ut ego dico' uel 'dicam' etiam:

Rud. 1072 *Verba dat: hoc modo res gestast, ut ego dico,* quo in uersu *hoc modo* abundanter proximo enuntiato secundario explicatur. Most. 26. 492; Pseud. 1268; Amph. 938; Rud. 603. 957.

Conf. etiam Pseud. 823 *Quom hasce herbas huius modi in suom aluom congerunt.* cf. Poen. 824.

Itaque cum pronominis demonstratiui *hic* usus coniunctissimus sit pronomini possessiuo *meus* (*noster*), fit, ut saepissime *hic* et *meus* (*noster*) coniungantur, quae abundantia sermonis repetenda est a uulgi more propter loquacitatem quandam innatam uerba cumulandi:

Curc. 725 *Noui ego hos pugnos meos.*

Mil. 290 *Egomet duobus his⟨ce⟩ oculis meis* (sc. *uidi eum*).

Asin. 737 *Meritissumo eius quae uolet faciemus, qui hosce amores*
Nostros dispulsos conpulit.

Most. 728; Amph. 116; Pseud. 152. 584. 1026; Truc. 623; Epid. 307; Stich. 298; Trin. 190. 299. 381; Capt. 220; Cas. II 8, 41. III 2, 1; Pers. 400; Pseud. 896 (*hic meus* Fleck.; *mihi hic* codd.; *hinc meus* R.). Acc. 556 (Ribb. Trag. p. 208). Afran. 8 (Ribb. Com. p. 166); coniecturae debetur Men. 985 *quando haec ⟨mea meus⟩ erus ob facta pretium exsoluet.*

In his cum paene constans ordo is sit, ut *hic* priore loco collocetur, Curc. 567 cum libris restituendum erit *Priusquam te huic meae machaerae obicio mastigia* cum hiatu in dihaeresi, quem Plautus saepius admisit (*meae machaerae huic* Mueller

Pros. Plaut. p. 552 et Goetz). Acc. 301 (Ribb. Trag. p. 175), ubi Vossius scripsit *Elóquere própere ac meum húnc pauórem expéctorá*, cum libri praebeant *hunc meum*, cum Buechelero creticos statuo: *lóquere propere ác pauorem húnc meum expéctora*[1]).

Nec tamen desunt exceptiones, quibus contraria uerborum collocatio (*noster hic*) a suspicione libera sit. Veluti Bacch. 956 *Pária item tria eis* [*his* Ast] *tribus sunt fata nostra huic Ilio* puto *nostra* in Palatinis traditum significare non posse 'quae nos (ego et Mnesilochus) paramus' sed recte cum Ast edi *nostro huic Ilio*.

Most. 1078 hoc legitur:

Nóstrum ego húc uicinum opinor ésse hominem aúdacem ét malúm. huc BC, *hŏc* D, quod ferri nequit; *hu⟨n⟩c* quod uulgo editur recte emendatum esse arbitror; *hinc*, de quo quis cogitet, peruersum esse cognosces ex eo, quod infra de hoc aduerbio explicabo.

Idem uerborum ordo *noster hic* deprehenditur praeterea quattuor locis Plautinis:

Mil. 1090 *Hic cúm ⟨—⟩ erást: ⟨—⟩ ciám nostrum húnc sermónem súblegérunt.*

Stich. 450 *Aliúd posticum nóstrarum hárunc aédiúm.*

Bacch. 945 *Nostró seni huic stolido, ei profécto nómen fácio ego Ílió* (*ilico* Ast).

Cist. IV 2, 96 *Nostra haec alumnast tua profecto filia.*

Ex his uersibus solum primum corruptum esse ex ipso metro cognoscitur; quod inest alterum uitium facile tollitur transponendo *hunc clám nostrúm sermónem súblegérunt*, ita ut prioris partis uulgari lectione accepta totus septenarius anapaesticus sic sit constituendus:

Hic cum ⟨mea⟩ erast: hunc clam nostrum sermonem sublegerunt.

Ceterum moneo ne Hermanni quidem coniecturam a ueri si-

1) Item constans esse solet hic uerborum ordo: *hic apud me* (*nos*), *hinc a me* (*nobis*), *huc ad me* etc., *iste tuus*, *istic apud uos*, *istuc ad uos*, *hic tuus*, *hic suus* (Phorm. 366), *ille meus* (*tuus*) etc., *illi apud te* (Stich. 471) etc.

militudine abhorrere: *clam nóstrum nunc* etc.; recedit autem a nostra ratione quod Ribbeckius temptauit: *Hic cúm erast: clam nostrum hunc ⟨furtim⟩ s. s.*

Nec minus incorrupti uidentur hi duo loci Terentiani:

Andr. 296 *Bona nóstra haec tibi permitto et tuaé mandó fidei.*

Phorm. 164 *Nam túa quidem hércle cérto uíta haec éxpeténda optándaquést.*

uita certe (om. *haec*) G, *uita certo* ^{haec} D (*haec* add. D^2).

In hac uerborum coniunctione *hic* et *meus* (*noster*) non prorsus idem significant, sed differentiae aliquid inter ea intercedit; possessiuum enim pronomen nihil nisi hoc significat: rem de qua agitur ad eum adtinere qui loquitur; *hic* autem pronomine praeterea indicatur rem adtinere ad ipsum tempus locumque quo agitur, uel digitis etc. monstrari. Id maxime apparet ex iis locis, ubi alterum pronomen cum substantiuo coniunctum fungitur uice appositionis epexegetice ad alterum additae: ueluti Truc. 622 sq.

. . . *quid tibi hanc aditiost,*
Quid tibi hanc notiost, inquam, amicam meam?

Men. 300 *Qui amicam habes eram meam, hanc Erotium.* (sic scribo duce Ast, in quo litterae inde ab *bes* usque ad finem legi potuerunt); cf. Cist. I 2, 14.

Quare *hic* interdum coniungitur etiam cum pronomine possessiuo secundae personae, ueluti

Trin. 828 *Atque hánc tuam glóriam iam ánte auribus accéperam et nóbiles⟨t⟩ ápud hominés.*

i. e. 'tuam gloriam, de qua ego nunc dico uel quam ego nunc laudibus effero'. Nec tamen *hanc tuam* idem est atque *istam*, ut uolunt Reisig *Vorles*. § 209 et Brix ad Trin. 873, quamuis Trin. 828 *istam* non ineptum sit. Ceterum moneo uu. 828—831 hominibus doctis suppositicios uideri: cf. Voss 'De uersibus anapaesticis Plautinis' in programmate progymn. real. Theodonisuill. 1881 p. 13. Ter. Andr. 510 *Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam uolo.* Most. 753 *Vt sibi liceret inspicere hasce aedis tuas.*

Similiter aduerbia ab *hic* deriuata coniunguntur cum notionibus, quae idem fere significent, qua de re agam infra in fine huius capitis.

Haec uis possessiua inest in *hic* etiam tum, ubi referendum est ad ea, quae is qui loquitur modo dixit uel quae statim dicturus est, cuius generis exempla aliquot iam supra tetigimus:

α) *hoc* (*haec res*, *haec*) referendum est ad ea quae is qui uerba facit dixit, siue spectat ad enuntiatum primarium siue ad secundarium; est igitur idem atque 'quod ego dixi uel dico', quod enuntiatum relatiuum saepe additur:

Trin. 402 *Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus*
Minas quadraginta accepisti a Callicle:
Estne hoc quod dico, Stasime?

cf. Trin. 449; Epid. 44; Poen. 704.

Amph. 514 *Heri uenisti media nocte, nunc abis. hocin placet?* (*hoc* = quod ego dico; *istuc* esset 'quod tu facis').

Conf. Amph. prol. 24; Merc. 3. 31. 321. 554. 578; Mil. 297. 309; Cas. I 27. II 3, 53. III 5, 63; Poen. prol. 116; Ter. Phorm. 136; Truc. 109; Capt. 71. 639. 643 sq. 762; Amph. 242. 254; Enn. 188. 245 (Ribb. Trag. p. 40. 51).

Eodem modo ponitur pluralis *haec* = quae ego dixi:

Trin. 103 *Haec quom audio in te dici, discrucior miser.*

Trin. 287 *Haec ego doleo, haec sunt quae excruciant,*
haec dies noctes canto ut caueas.

Cist. I 1, 53 *Sine opera tua nihil di horunc facere possunt.* cf. Men. 976; Truc. 566; Mil. 299; Amph. prol. 13. 261; Merc. 54. 399; Pers. 183; Stich. 448; Ter. Phorm. 130. 132.

Pers. 527 *Haec cura* (*haec* = quae ego dixi uel tibi commendaui; *istaec* esset = quae tibi commendata sunt).

Imprimis nota formulam in narrando saepe occurrentem *Dum haec aguntur:* Amph. 1098. 1120; Merc. 193.

Pro *hoc* uel *haec* usurpatur etiam *haec res* uel *hoc uerbum* uel *haec uerba:* Cist. I 3, 49; Stich. 18 sq.; Most. 590 sq. *Molestus si sum, reddite argentum: abiero. Responsiones omnis hoc uerbo eripis;* Stich. 193. Atque eodem sensu *hic* coniungitur cum substantiuo quodam, quo apposito id quod dictum est accuratius explanatur:

Capt. prol. 40 *Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam.* i. e. hoc, quod ego dixi illum facturum esse, est fallacia. Trin. 692.

Amph. 253 *Haec illic est pugnata pugna* (i. e. pugna, quam descripsi et enarraui).

Truc. 689 *Perii, rabonem! quam esse dicam hanc beluam?*

Item *haec* plurali comprehenduntur complures notiones, quas quis modo commemorauit:

Pers. 555 *Perfidia et peculatus ex urbe et auaritia si exsulant,*
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta ⟨autem⟩ obtrectatio,
Septumum periurium — Eugae. — Octaua indiligentia,
Nona iniuria, decumum, quod pessumum adgressust, scelus:
Haec unde aberunt, ea urbs moenita muro sat erit simplici.

(sic Studemund in 'Festgruss' Wirceburgi 1868 p. 75).
cf. Turpil. 201 (Ribb. Com. p. 109); Afran. 381 sq. (Ribb. Com. p. 213); Plaut. Pseud. 69; Asin. 198.

Cato R. R. 37 *Hordeum, foenum Graecum, eruum, haec omnia segetem exsugunt.* Alia exempla Catoniana uide apud Holtze Synt. I p. 370. Simili modo apud posteriores scriptores argumentum complurium sententiarum *hic* pronomine saepius cum *omnis cunctus uniuersus* adiectiuis coniuncto comprehenditur (uide Grysar *Theorie des lat. Stils* p. 71 sq.); nec secus illud explicandum est, quod Grysar l. c. p. 72 adnot. disputauit. Sed cum uulgo ad comprehendenda ea, quae antea dicta sunt, *is ea id* adhibeatur (uide infra), quae differentia inter pronomen πρωτότριτον et correlatiuum intercedat, exponendum est. *Is ea id* igitur cum simpliciter repetat ea quae antea dicta sunt, siue dixit is qui loquitur siue is qui est appellatus siue alius quis superiora, *hic* pronomine denotat is qui loquitur ipsum se

dixisse atque ita, ut ei rei maiorem uim tribuat, quod ipse quae sunt narrata commemorauit quam quod alius quis ea effecit.

β) *hic* referendum est ad sequentia; *hoc* (*haec*) est 'quod (quae) ego dicam'. Etiam hoc casu pronomen aut nude ponitur aut coniungitur cum substantiuo aliquo; atque subsequens sententia, ad quam pronomen spectat, est aut secundaria (accus. cum inf., *ut*, *quia* etc.) aut primaria. Ad primam autem personam *hoc* pertinere ea re illustratur, quod uerbum enuntiationis primariae primam personam saepius exhibet:

1) *hic* pertinet ad sententiam secundariam:

Curc. 670 *Hoc prius uolo, Meam rem agere.*

Merc. 797 *Demiphoni haec eloquar, Me istanc capillo protracturum esse in uiam.*

Capt. 620 *Sed hoc primum me expurigare tibi uolo, me insaniam*
Neque tenere neque mi esse ullum morbum nisi quod seruio.

Capt. 701. 750; Stich. 9 sq. 167 sq.; Bacch. 1099 sq.; Pseud. 915. 919; Adelph. 964.

Merc. 692 *Parumne hoc est malae rei, quod amat Demipho?* (sc. *mihi*). Trin. 394 sq.; Poen. 883 sq.

Ita frequentissime usurpatur *hoc oro rogo quaeso moneo, ut* (*ne*), ubi pronomine *hoc* id quod expetitur maximopere effertur:

Capt. 747 *At únum hoc quaéso, si húc rebitet Phílocratés,*
Vt mi eius facias conueniundi copiam.

cf. Capt. 241 sqq.; Ter. Hecyr. 766; Turpil. 211 (Ribb. Com. p. 110).

Stich. 41 *Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es maior,*
Moneo, ut tuom memineris officium.

Trin. 674. praeterea cf. Cas. II 5, 31. II 6, 12; Merc. 330; Rud. 187. 190. 246; Enn. 46 sq. (Ribb. Trag. p. 21).

Eadem res est, si *hoc* ablatiuum sequitur sententia a *quia* uel *quom* ordiens:

Amph. 254 *Hoc adeo hoc conmemini magis, quia illo die inpransus fui.* cf. Pseud. 643 (ubi Ritschl *hoc* mutauit in *nunc* sine idonea causa). 822 sq.

Cum *hic* pronomine ad sequentem sententiam secundariam spectante consociatur substantiuum:

Epid. 355 *nam ita suasi seni atque hanc habui orationem,*
Vt quom redisses ne tibi eius copia esset.

Curc. 377 *Habent hunc morem plerique argentarii,*
Vt alius alium poscant, reddant nemini.

cf. Capt. 216. 525. 684 sq.; Trin. 642. 689.

2) *hic* pertinet ad sententiam primariam:

Luculentissimum exemplum est Ter. Phorm. 124, ubi ad *hoc* enuntiatio *quod dicam* accedit:

. . . . . *Hoc consilium quod dicam dedit:*
Lex est ut orbae, qui sint genere proximi,
Eis nubant et illos ducere eadem haec lex iubet.

Poen. prol. 40 *Et hoc quoque etiam, quod paene oblitus fui:*
Dum ludi fiunt, in popinam, pedisequi,
Inruptionem facite.

Stich. 460; Merc. 70. 266; Truc. 191; Most. 216 sq.; Poen. 237.

Eodem referendae sunt formulae *hoc age* (*sis*), *hoc audi*, *hoc* (*sis*) *uide*, *hoc animum aduorte*, quibus uti solent, qui audientis animum missis ceteris rebus ad id ipsum attendi uolunt, quod ipsi dicunt uel quod maxime agitur:

Hoc uide: Truc. 601 *Hoc uide: dentibus frendit, icit femur.* cf. Pseud. 153; Afran. 168 (Ribb. Com. 185); Curc. 126. 153; Pers. 788. *hoc sis uide:* Merc. 167; Cist. I 1, 57; Stich. 270; Capt. 664 debetur coniecturae Muelleri Pr. Pl. p. 58 not. 1.

Hoc age (*sis*): Bacch. 994; Capt. 444; Cist. I 1, 84 (*hoc uolo agatis*). IV 2, 25. 81; Pers. 584. 768. praeterea uide Brixium ad Capt. 441 et Lorenzium ad Pseud. 149 et 190 et Langen *Beitraege zur Kritik u. Erklaerung des Plautus* p. 172 sq.

Hoc audi Merc. 921; Poen. 407.

Hoc animum aduorte Trin. 66; Pseud. 153; Pers. 116; Curc. 270; Capt. 329; Mil. 766. Brix in adnot. ad Trin. 66, Mil. 766, Capt. 326 arbitratur *hoc* esse aduerbium pro *huc* positum; immo accusatiuum esse opinor, cum praesertim ab *ani-*

mum aduortere pendeat accusatiuus ipsius substantiui Pseud. 143 *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum aduortetis omnes.*

Atque etiam iis locis, ubi *hoc* (*haec res*) ad enuntiatum interrogatiuum siue subsequens siue antecedens pertinet, pronominis uis eadem est, ut is qui loquitur ad id quod ipse interrogat alterius animum aduertere uelit:

Trin. 173 *Sed nunc rogare* ⟨*hoc*⟩ *ego uicissim te uolo:*
Quid fuit officium meum me facere?

Men. 1130 . . . . *sed mi hoc responde.* — *Roga.* —
Quid erat nomen nostrae matri?

cf. Trin. 1074; Men. 923; Poen. 252; Pers. 215; Amph. 609; Cas. III 5, 21; Mil. 430 sq.; Ter. Andr. 849; Haut. 890. 943; Eun. 100 sq. 694 sq. 707. 792 sq.

Illustratur uero quae in ipso *hoc* pronomine inest ad primam personam relatio saepius ita ut accedat *quod* (*ego te*) *rogo:*

Men. 914 *Dic mihi hoc quod te rogo: Album an atrum uinum potas?* cf. Curc. 245; Most. 748; Pseud. 340. 1191; Merc. 185. 214; Asin. 578[1]). In horum exemplorum pleris-

---

1) Ad horum exemplorum similitudinem Pseud. 315 sic legendum est cum Palatinis:
Dí meliús faciánt (uel potius *faxínt*). — *Fac hóc quod té rogámus, Bállió. Dí melióra fáxint.* ⌗ *fáce quod* codex Ambrosianus, quem editores secuti sunt. At in hac optandi formula inusitatus est *meliora* pluralis. Ceterum in *faxint* subiunctiuo prisco conseruando libri sibi non constant; uide

Cas. IV 3, 15 *Dí meliús faciánt; sed crépuit óstium; éxitúr forás* (ita libri omnes cum A^{st} male).

Merc. 284 *Salue⟨t⟩o. quid fit? quid agis?* — *Quod miserrumus.* —
Dei mélius fáciant. — *Di hóc quidém faciúnt.* — *Quid ést?*
priore loco *faxint* CD bene, *faxim* B, *facient* A^{st} (non *faxint*, quod in A perperam legit Loewe).

Bacch. 626, ubi equidem Muellero auctore (*Nachtr.* p. 27) numeros sic constituo:

Mnesíloche, quíd fit? — *Périi.* —
Di mélius fáxint (codd. *faciant*). — *Périi.* —
(627) *Non táces, insípiens?* — *Táceam?* —
Sanús satis nón es. — *Périi* (ita libri omnes).

que quamquam *hoc* ideo adiectum esse uidetur, quia opponitur id, quod rogatur, aliis rebus, nescio an etiam his quattuor locis, ubi libri *hoc* ante *quod rogo* omittunt, id addendum sit:

Curc. 708 *Quándo uír bonú's, respónde* ⟨*hoc*⟩ *quód rogó.* —
Roga quód lubét. —
Promistin . . . . Te omne argentum redditurum?
(*hoc* addidit iam Fleckeisen).

Pseud. 967 *Heús tu, quí cum hirquina bárba* ⟨*a*⟩*stás, respónde* ⟨*hoc*⟩ *quód rogó.*
(*hoc* inseruit Ritschl inuitis libris ABCD, in quibus est *stas barba responde quod rogo*).

Rud. 124 *Tu siquid ópus est dic.* — *Dic* ⟨*hóc*⟩ *quod té rogó.*
(*dice.* — *Dic quod te rogo* libri).

Ter. Andr. 764 *Mitte id quód scio: dic* ⟨*hoc*⟩ *quód rogó.*
quamquam numeri huius uersus paulo suauius fluunt, si *hoc* omittitur.

Ad *hic*, quod ad sequentia spectat, additur saepius substantiuum, quo uniuerse id indicatur, quod quis interrogaturus uel dicturus est:

Capt. prol. 35 *Hisce autem inter sese hunc confinxerunt dolum,*
Quo pacto hic seruos suom erum hinc amittat domum:
Itaque inter se conmutant uestem et nomina.

Ritschelius Fleckeiseno (Exercit. p. 19) obsecutus refragante usu dicendi uerba tradita mutauit sic:
⟨*Heús*⟩ *Mnesíloche, quíd fit?* — *Périi.* — *Dí melióra fáxint.* — *Périi.*

Praeterea cf. Ter. Phorm. 1005 *Mi homo, di melius duint.*

Etiam *faciat* singularis simili loco legitur:

Amph. 461 *Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod ille faciat Iuppiter.*
(*faciat* libri, at *faxit* Seruius).

Contra Most. 398 ... *Ita ille faxit Iuppiter.*

Pseud. 923 . . . *ita ille faxit Iuppiter.*

Curc. 27 *Nec me ille sirit Iuppiter* (*sinit* BE, *sunt* J; *sirit* metro postulatur). —

Nec secus *hoc* peruerse omittunt BCD, ubi A bene exhibet:

Truc. 273 *Nunc places, quom mi inclementer dicis.* — *Quid hoc quod te rogo?*

hunc est 'quem ego dicam'.
cf. Capt. 98 sqq. 232; Merc. 1019; Men. 338 sq. 572 sqq.; Cist. I 3, 7; Poen. 1099.

Potest autem is quem statui intercedere cum prima persona conexus multis uariisque modis explicari; modo enim *hoc* est 'quod ego dico' (uel 'dicam' uel 'dixi') ut in exemplis quae supra attuli, modo 'quod ego cognoui, quod ego miror' etc. Veluti *hoc est* uerbis indicantur sequentia ita, ut causa statim afferatur (*hoc* = 'quod ego dicam' uel 'quod ego scio, expertus sum'):

Stich. 127 sq. *Sed hoc est, quod ad uos uenio . . . . . :*
Mihi ita auctores sunt amici, ut uos hinc abducam domum.

Curc. 172 *Hoc etiamst quamobrem cupiam uiuere:*
Quia te prohibet erus, clam potior.

Bacch. 1099 *Hoc, hoc est, quod* ⟨*cor*⟩ *peracescit, hoc est demum, quod percrucior:*
1101 *Cano capite atque alba barba miserum me auro esse emunctum.*

cor addidit O. Seyffert Stud. Plaut. p. 13, recepit in contextum Vssing.

Asin. 864 *Hoc ecastor est, quod ille it ad cenam cotidie:*
865 *Ait sese ire ad Archidemum . . . . :*
867 *Is apud scortum conruptelaest liberis, lustris studet.*

In hoc exemplo *hoc* est 'quod ego cognoui', causa autem indicatur u. 867; nec secus

Men. 1135 *Hoc erat, quod haec te meretrix huius uocabat nomine:*
Hunc censebat te esse, credo, quom uocat te ad prandium.

(ad quem uersum Brix recte adnotat: »die Wendung *hoc erat* (*est*) *quod* will sagen, dass man zu einer früher unerklärlichen Thatsache nun den Grund einsieht«) et

Cas. III 2, 2 *Hoc erat ecastor, quod me uir tanto opere orabat meus:*
Liberae aedes ut sibi essent, Casinam quo deduceret.

(*id quod* codd. pro *quod* in uersu priore). Conf. etiam Merc. 711 *Pol hoc est, ire quod rus meus uir noluit*, ubi oratio interrumpitur.

Quomodo *illuc est quod* formula explicanda sit, uide infra.

Neque minus dilucide *hoc* spectat ad personam loquentem in *Quid hoc* (*est*)? formula, quae saepissime usurpatur, ubi noua aliqua res obiecta admirationi est ei, qui ipse secum loquens haec uerba pronuntiat; *hoc* ergo idem est atque 'id quod ego cognosco (uideo)':

Ter. Phorm. 177 *Sed quid hoc est? uideon ego Getam currentem huc aduenire?*

Exempla uide ab O. Seyfferto Stud. Plaut. p. 28 sq. et Brixio ad Mil. 1306 (append. crit.). 1344 congesta. Verum sicubi alter alterum percontatur, *hoc* pronomine omisso dicitur *Quid est?*

Pro *hoc* autem usurpari licet *haec res* uel *hic* cum alio substantiuo coniunctum, quo addito illa res accuratius depingitur:

Men. 1076 *Tu erus es: tu seruom quaere. tu salueto: tu uale.*
Hunc ego esse aio Menaechmum. — At ego me. —
Quae haec fabulast?

(i. e. quid hoc est quod agi uideo?).

Pers. 787 *sed quid ego aspicio? Hoc uide: quae haec fabulast? pol hic quidem potant.*

Most. 937 ADV. *Heus, reclude: heus Tranio, etiamne aperis?*
THE. *Quae haec est fabula?*

(Theopropides secum loquitur ad spectatores conuersus). Andr. 747; Eun. 689.

Poen. 1297 *Quid hoc est conduplicationis? quae haec est congeminatio?*

Rud. 1371 LA. *Neque edepol tibi do neque quicquam debeo.*
GR. *Quae haec factiost?*
Non debes? (Gripus uerba *quae haec factiost* i. e. 'quid hoc est quod nobis fit' pronuntiat ad Daemonem, qui adest, *non debes* uerba ad Labracem).

Bacch. 842 *Meamne hic Mnesilochus Nicobuli filius*
Per uim ut retineat mulierem? quae haec factiost?

Epid. 710 *Quor dare ausu's? — Quia mi lubitumst. — Quae haec, malum, inpudentiast?*

Men. 792 *Tua quidem ille causa potabit minus,*
Si illic siue alibi lubebit? quae haec, malum, inpudentiast?

Acc. 455 (Ribb. Trag. p. 194) *Quae uástitúdo haec aút unde inuasit mihi?*

(conexus cum prima persona satis apparet ex *mihi* pronomine)[1].

Pers. 846 SA. *Hicinest, qui fuit quondam fortis?* DO. *Quae haec res est? ei, colaphum ⟨mi⟩ icit*

(Dordalus loquitur ad spectatores conuersus).

Ex contrario ubi alter alterum cum de aliis percontatur tum de eis, quae alter modo dixit uel fecit (cf. Seyffert l. l. p. 28 sq.), pronomen poni non licet, sed dicendum est *quid est?* uel *quae res?* Eligam ea exempla, ubi *quae res* occurrit:

Asin. 477 *Quae res? tum libero homini Male seruos loquere?* cf. Poen. 1199; Aul. 423; Cas. IV 4, 7.

Cas. IV 4, 19 sq.[2]) LY. *Mea uxorcula, Quae res?* OL. *Quid est?* LY. *Institit plantam quasi Luca bos. — Tace sis.* (Geppert uerbis uiolenter mutatis legit *Quae ⟨est haec⟩ res?*; uide Fleckeisenum in ann. phil. uol. CIII p. 706).

Etiam Cas. III 6, 8 secundum libros cum A legendum est: LY. *Quae res?* OL. *Haec res.* LY. *Etiamne adstas?* OL. *Enimuero πράγματά μοι παρέχεις.* (*Quae res* ⌗ *Haec res. etiamne adstas?* ⌗ *Enimuero* A; *Qu(a)e res* ⌗ *haec res* ⌗ *Etiamne astas?* ⌗ *Enimuero* [*a(d)stas? enim uero* EJ] fere BEJ; *Quae ⟨est haec⟩ res?* ⌗ *Etiamnunc* Geppert).

---

1) Cum in his interrogationibus pronomen demonstratiuum constanter adhaereat pronomini interrogatiuo et aegre desideretur *est* uerbum, quod in exemplis laudatis locum habet, nescio an sic legendum sit: *Quae haec uástitúdo⟨st⟩ aút.*

2) Ast uersiculos sic distribuit:

Mea uxorcula quae res
Quid ést ⌗ *Insístit plántam*
Quasi Lúca bós ⌗ *Tacé sis.*

Mea uxorcula ⌗ *Quid est?* ⌗ *Institit plantam* ⌗ *Quasi iocabo* ‖ *Nebula* etc. BEJ.

Spengel Truc. 611 sic facit Cyamum ad Stratophanem militem dicentem:

Quae ⟨haec⟩ res⟨t⟩?
Meone ero tu, inprobe, maledicere audes, fons uiti et peiuri?

sed et libri pro *quae haec rest* praebent *que* (uel *quę*) *hercles* et expectatur haec sententia: 'Istocine modo tu audes meo ero maledicere?' uel 'Istaecine tu audes . . . maledicere?'; tamen profiteor me probabilem emendationem proferre nequire; Schoell edidit: *Quae res?*

At Cas. II 8, 18 cum oratio directa sit ad spectatores a Chalino secum loquente (conf. tamen *quae uoluptas tua*), Geppert *quae haec res est* non male uidetur scripsisse:

Quid? deósculér? Quae ⟨haec⟩ rés ⟨est⟩? quaé uoluptás tuá? (*quae uoluptas* codd., *uoluptas quae* Gepp.); *haec* = quam ego miror, quam ego uideo; cf. exempla supra allata.

Atque eadem de causa *quae haec res est* opinor legendum esse Mil. 1343 *Séd quid hoc? quae ⟨haec⟩ rés ⟨est⟩? quid uideo? ⟨ó⟩ lux salue* (– ⏑ –). (*Sed quid* [*inquit* C] *hoc queris quid* [*quod* C] *uideo lux* [*uix* B] *salue* libri; suo iure *quid uideo* defendunt Seyffert l. l. p. 29 et Brix in editione).

Idem significat *Quid hoc est negoti?*, quae formula admirantis est, quid id sit quod uideat uel audiat. Vbi autem id quod alter facit denotatur, adhibendum est pronomen *istuc*, qua de re infra dicetur:

Bacch. 1120 *Quis sonitu ac tumulto tanto nominat me atque pultat aedis? —*
Ego átque hic. — Quid hóc est negóti nam, amábo?
Quis hás⟨ce⟩ huc óuis adégit?

(Verba fiunt ad sororem, quae tamquam spectatorum munere fungitur, non ad senes; simul autem *negotium* illud ad Bacchidem eiusque sororem (i. e. ad 'nos') pertinet).

Men. 522 *Quid hoc est negoti? satin, ut quemque conspicor, Ita me ludificant?*

Cas. III 5, 15 *Timeo hóc negóti quid siét* (sic A solus, *negotium quid est* ceteri obstante metro).

Men. 384 *Nimis mirór quid hoc sit negóti.*

Poen. 1249 *Misera timeo, Quid hoc sit negóti, méa sorór:*

Capt. 697 *nunc scio, Quid hoc sit negóti*[1].

Adelph. 707 *Quid hoc ést negóti? hoc ést patrem ésse aut hóc est filium ésse?*

Quid *hoc* sit, explicatur saepius ita, ut sequatur enuntiatum secundarium a *quod* ordiens aut accusatiuus cum infinitiuo:

Asin. 407 *Quid hoc ést negóti, néminém meum dictum mágni fácere?*

Cist. V 1 *Quid hoc negótist, quód omnes hómines fábulántur pér uiás,*
Mihi esse filiam inuentam?

Hecyr. 97 *Sed quid hoc negótist, módo quod nárrauit mihi*
Hic íntus Bácchis?

Bacch. 415 *Quid hoc negótist, Pistoclérum Lýdus quód erum tám ciét?*

Men. 762 *Quidnam hóc sit negóti, quod filia sic repente expetit me.*

Vno loco sequitur alterum enuntiatum interrogatiuum:

Men. 997 *Quid hoc ést negóti? quid illisce hómines ád me cúrrunt, óbsecró?*

sed ut in ceteris exemplis arbitror etiam hic pro *quid* restituendum esse *quod;* nam quamuis in uersibus hunc excipientibus saepius redeat pronomen interrogatiuum (*quid, quo*) ideoque putet quispiam subesse hic artificium anaphorae, tamen id obstat, quod u. 997 dirigitur ad spectatores, uersibus 998 sqq. illi ipsi appellantur qui loquentem aggrediuntur; cum igitur duae orationis partes sint secernendae, nullo modo illo artificio *quid* (u. 997) defenditur; cf. etiam Amph. 502, Rud. 559, ubi item *quod* usurpatur.

Saepius ad *hoc* in formula *quid hoc est?* accedit genetiuus nominis, quo illud *hoc* accuratius definiatur:

---

1) *Quid hoc sit* Brix, cuius uide adnot. crit. in append.; *quid sit hóc* codd.; uide etiam Seyffertum l. l. p. 29 et supra p. 168 adnot. 1.

Rud. 613 *Sed quid hoc in Véneris fáno m[eaé uiciniaé]*
Clamoris oritur? animus mirat[ur meus].

Aul. 403 *Sed quid hoc clamóris óritur hínc ex próxumó?*

cf. Enn. 143 (Ribb. Trag. p. 34); Pacuu. 133 (Ribb. Trag. p. 92); Caec. Stat. 245 (Ribb. Com. p. 74); Pompon. 121 (Ribb. Com. p. 243); Rud. 415; Poen. 1297; Ter. Eun. 546.

Alibi *hic* pronomine id significatur 'quod ego audio uel modo audiui, id quod nos audimus uel modo audiuimus':

Amph. 843 *Ne ista edepol, si haec uera loquitur, examussimst optuma.*

Most. 962 *Ei mihi: occidi, Si haec hic uera memorat.*

Merc. 911 *Vt, si haec non sint uera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.*

Amph. 748 Amphitruo Sosiam his interrogat uerbis:

Audiuistin tu me narrare hodie haec?

haec sunt res ab Amphitruone gestae, quas ipsum Amphitruonem narrasse Alcumena contendit.

Phorm. 206 *Hoc uerumst;* 208 *Hoc nihil est.*

Bacch. 449 *Acris postulatio haec est, quom huius dicta intellego.*

haec per attractionem quae dicitur generis positum est pro *hoc* = 'hoc quod ego cum admiratione audio, est acris postulatio'.

Bacch. 435 *Propter me haec nunc meo sodali dici discrucior miser. Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea* (haec uerba Mnesilochus, qui Lydi et Philoxeni sermonem captat, facit ad spectatores); cf. Men. 927.

Bacch. 1110 *Numquidnam ad filium haec aegritudo attinet?*

uerba sunt Philoxeni ad Nicobulum conuersa, qui eadem uterque aegritudine adfecti sunt.

Nec multo secus Mil. 626 Pleusicles adulescens, dum senem Periplecomenum intuetur, exclamat: *Hancine aetatem* (i. e. senilem aetatem) *exercere* ⟨*mei*⟩ *me amoris gratia!,* ad

cuius loci naturam paulo aptius *istanc* quadraturam esse formam concedendum est (sane 622 idem Pleusicles de senili eiusdem Periclomeni aetate dixit *istaec aetas*).

Ex exemplis quae proposuimus elucet pronomini *hic*, quamuis uaria ratione referendum sit ad primam personam, semper subesse uim quandam possessiuam. Quare *hoc* (*haec res*, *haec*) significat saepissime id, quod ei qui loquuntur faciunt, cupiunt, sciunt, patiuntur etc.; *hoc* ergo idem est atque 'mea res (nostra), quam ego facio, scio (nos facimus, scimus)' uel 'consilium meum (nostrum), quod ego capio (nos capimus)' etc.:

Pers. 198 *face rem hanc cum cura geras* (= nostram rem, quam agimus, non = quam tibi mando; *istanc* denotaret rem tuam, quae tibi mandatur).

Pers. 455 *Hanc ego rem exorsus sum facete et callide* (= meam rem quam ego ago).

Pers. 761 *Quorum opera haec mihi facilia factu facta sunt*
quae uolui ecfieri.

Mil. 1349 *Nos secundum ferri nunc per urbem haec omnia.*

Rud. 193 *Tum hoc mi indecóre, inique, inmodéste Datis di* (*hoc* est 'quod malum mihi contigit, quod ego patior').

Rud. 710 *Iniqua haec patior cum pretio tuo.*

Men. 752 *Ecástor pariter hóc atque alias rés soles.*
hoc non est 'quod tu facis', quam ad rem significandam necessarium est *istuc*, sed 'quod ego aegre fero, quod ego doleo, quod mihi fit'.

Cas. II 3, 59 *Subolet hoc iam uxori, quod ego machinor.* Cas. III 2, 24.

Cas. II 6, 56 *Quia iussit hoc Iuno mea* (*hoc* spectat eo quod is qui loquitur Olympionem pugnis cecidit).

Cas. II 8, 37 *At non opinor fieri hoc posse hodie* (= nostram rem, quam agimus). Cas. V 2, 38.

Poen. 788 *Consulto hoc factumst, mihi ut insidiae fierent.* (*hoc* est id quod mihi factum est).

Cist. V 8 *Abi cito. — Praeuorti hoc certumst rebus aliis*
omnibus.

Epid. 696 *Bene hoc habet: age nunciam ex me exquire,*
rogita quod lubet.

Most. 715 *Hoc habet: repperi qui senem ducerem,*
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.

Rud. 1143 *Hoc habet: est solutum. ah perii: uideo cistellam. — Haecinest?*

Cuius uersus de lectione uide Fleckeiseni Exercit. Plaut. p. 18. De formula *hoc habet* cf. e. g. Seruius ad Verg. Aen. XII 296.

Quamuis *hic* pronomine ipso non denotentur res praesentes, huic tamen quam statuimus significationi consentaneum est eas res, quae per *hic* designentur, praesente tempore fieri; cum autem haec uis quasi redundet tantum ex ea quae pronomini cum prima persona intercedit necessitudine, *hic* adhiberi non licet ad insigniendas eas res, quae, quamuis spectent ad praesens tempus, tamen non ad primam personam, sed potius ad alteram uel tertiam personam pertinent. Itaque *hic* non tam ponitur ad designandum id, quod alter quocum quis colloquitur uel tertius praesente tempore dicit (ubi necesse est locum habere *iste* uel *ille*), quam ad id quod is qui loquitur ex altero uel tertio, qui praesens adest, audit audiuitue.

Iam affero pauca exempla, ubi *hic*, quamquam primo adspectu uidetur denotare tempus praesens, re uera referendum est ad personam loquentem:

Rud. 190 *Nam hoc mi haut sit labori laborem hunc potiri:* *hoc* (i. e. 'quod ego dico') spectat ad sequentia; *laborem hunc* est 'quem ego nunc habeo'.

Rud. 927 *Nunc haéc tibi occásio, Gripe, obtigit, ut liberet*
te éx populó praetór:
cum Gripus secum loquatur, *haec* idem est atque 'quam ego dicam'; simili modo *hic* pronomine usus est Plautus Epid. 81 et 161 et alibi saepius.

Cas. II 4, 12 *Optio haec tuast: utram harum uis con-*
dicionum accipe.
ubi *haec* (= 'quam ego pluribus uerbis executus sum') simul spectat ad sequens enuntiatum.

Stich. 310 *Nimis h a e c r e s sine cura geritur* (*haec res* = id quod ego opto).

Poen. 543 *Obsecro hercle o p e r a m celocem h a n c mihi, ne corbitam date.*

(*h a n c* = quam postulo). cf. Pacuu. 208 (Ribb. Trag. p. 102).

Rud. 1190 *Saltem tantisper dum apscedat h a e c a me a e g r i m o n i a.*

haec = qua ego affectus sum. cf. Rud. 496.

Cas. III 4, 26 *Qua ego h u n c a m ŏ r e m mi esse aui dicam datum?*

hunc = meum amorem, quo ego (nunc) adfectus sum.

Poen. 208 . . . . . *O multa tibi di dent bona,*
Quom h o c mihi obtulisti tam lepidum s p e c t a c u l u m. cf. Poen. 1263. 1275.

Cas. II 8, 68 *Tribus non conduci possum libertatibus,*
. . . .
70 *Quinque h a n c omnem r e m meae erae iam faciam palam.*

(*hanc rem* = quam ego scio).

Trin. 930 *Sed nil disconducit h u i c r e i* (i. e. meae rei, quam ego facio).

Mil. 582 *Nam iam aliquo aufugiam aut me occultabo aliquot dies,*
Dum h a e c consilescunt t u r b a e atque irae leniunt. (i. e. quas ego feci).

Mil. 859 *excruciabit me erus, domum si uenerit, Quom h a e c f a c t a scibit.*

Mil. 875 *h a n c f a b r i c a m fallaciasque Minus si tenetis, denuo uolo percipiatis plane.*

(i. e. nostram fabricam quam nos facimus).

Merc. 911 *inceptum h o c i t i n e r perficere exsequar.*

cf. Cas. II 1, 16. IV 4, 2.

Cas. II 6, 69 *Intro abi et quamquam h o c tibi aegrest, tamen fac accures.*

(*hoc* i. e. quod ego te facere iubeo uel quod ego facio). cf. Cas. II 8, 6. III 2, 21; Poen. 351.

Item *hic* inseruit ad significandas eas res, de quibus quis loquitur; eo enim tempore, quo de re aliqua uerba fiunt, is qui loquitur eam fingit suam ac propriam esse, quo sensu etiam nos *unser* possessiuo pronomine saepius utimur:

Epid. 288 *Et repperi h a e c te qui abscedat s u s p i c i o* (i. e. de qua uerba facimus).

Trin. 293 *H i s c e ego de a r t i b u s gratiam facio,*
Ne colas neue inbuas ingenium.

Merc. 1003 *Recte dicis: sed istuc uxor faciet, quom h o c rescinerit.*

Capt. 156 *fugitant omnes h a n c p r o u i n c i a m.* —
158 *Non pol mirandumst fugitare h a n c p r o u i n c i a m.*

haec prouincia est officium parasito cibi praebendi, de quo officio nos loquimur.

Ter. Phorm. 125 *Lex est ut orbae, qui sint genere proxumi,*
Eis nubant et illos ducere eadem h a e c l e x iubet. cf. Bacch. 421.

Id autem hoc loco monendum est, *hic* pronomen a priscis scriptoribus nusquam ita usurpari, ut fungatur uice notionis repetendae, quae modo commemorata sit a persona loquenti, quam significationem hoc pronomen habet apud posteriores auctores et imprimis apud scriptores rerum gestarum et poetas epicos; cui rei cum inseruiat *is* pronomen, aptius erit de hac re accuratius disputare infra, ubi de pronomine correlatiuo quaestionem instituemus.

Si *hic* coniungitur cum notionibus, quae pertinent ad tempus, ex huius pronominis quam constituimus significatione necessario sequitur constanter designari tempus praesens uel praesenti proximum, non aliud tempus:

Trin. 283 *Noui ego h o c s a e c u l u m, moribus quibus sit.* (= quo ego uiuo, uel quo nos uiuimus).

Trin. 290 *Quia ego ad h o c g e n u s hominum duraui.*

Trin. 301 *Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia*
Tuis seruiui seruitutem imperiis (i. e. ad meam aetatem, qua ego nunc sum).

Trin. 484 *Cena hac annonast sine sacris hereditas.*
i. e. nostra annona quae nunc apud nos est.

Curc. 104 *Pol ut praédicas, uindémia haec huic ánui non satis sólist.*
est uindemia, quam hoc quo uiuimus anno habemus.

Mil. 688 *Ne algeas hac hieme.*

Itaque *hic dies* constanter est is dies qui nunc est, quo nos uiuimus:

Pers. 33. 712. 768; Capt. 774. 800; Pseud. 58 sq. 179; Rud. 1416; Stich. 421 [1]; Poen. 449; Men. 155; Epid. 341.

Neque minus aperte ad praesens tempus refertur *hodie* aduerbium, quae exempla congerere uix opus est; hoc unum monendum est *hodie*, cum partem antiquae potestatis amiserit, coniungi adeo cum (*hic haec*) *dies* ueluti

Epid. 157 *ut hunc hodie diem Luculentum habeamus.*
cf. Pers. 33. 773. 780; Pseud. 165. 775. Indidem factum est, ut *hodie* saepissime addatur in affirmatione uel iureiurando (id quod parum apte expressit Donatus ad Ter. Adelph. II 2, 7 »*hodie* non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum«): ueluti Amph. 454 *Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.* Itaque haud raro deprehenditur *pol* (*edepol*), *ecastor hodie*: cf. Asin. 670. 699. 936; Most. 657. 1113; uide Brix ad Men. 218, Klotz et Spengel ad Ter. Andr. I 2, 25.

1) Stich. 423 sq. sic interpungendum esse puto cum Spengelio Philol. uol. 28 p. 729:
sumas, Stiche.
In hunc diem te nil moror: abi quo lubet.
cf. Poen. 503 *In hunc diem iam tuos sum mercennarius.* Pseud. 127 *Omnibus amicis notisque edico meis, In hunc diem a me ut caueant.* Pseud. 534 *Non unum in diem, Verum hercle in omnis* sc. condam (*unum in diem Verum* R, *unum quidem diem modo, uerum* codd.). Pseud. 547. 899; Pers. 689; Eun. 540; Stich. 517.

Bacch. 1205 *Vesper hic est.*

Stich. 29 *Nam uiri nostri domo ut abierunt, Hic tertius⟨t⟩ annus.*

Capt. 980 *Hic annus incipit uicensumus.*

Men. 234 *Hic ánnus séxtust, postquam ei rei operám damús.*
(*sextus est, postquam ei rei* O. Seyffert Stud. Plaut. p. 25 adnot. 17). cf. Pers. 172. 504. 628; Rud. 630. 637; Pseud. 190; Bacch. 1097.

Haec nox denotat α) aut noctem praesentem, qua is qui loquitur uiuit, β) aut noctem proxime antecedentem, γ) aut proxime instantem:

α) Amph. 113 *Et haec ob eam rem nox est facta longior.* cf. 272. 288. 404. 412. Eodem referendum est *hoc noctis*:

Amph. 154 *qui hoc noctis solus ambulem.*
cf. Amph. 163. 292. 310; Curc. 1; *hoc* Quicherat in Thesauro poet. linguae Latinae falso putat esse ablatiuum; immo accusatiuum esse dispicias ex eo, quod etiam alia pronomina, quorum de casus forma dubitari nequit, eodem modo construuntur: Asin. 71 *id aetatis*, Mil. 657 *illuc aetatis*, Ter. Haut. 110 *istuc aetatis*, Merc. 290 *Quid tibi ego aetatis uideor?* cf. etiam Bacch. 343 *Ne nauigarem tandem hoc aetatis senex.* Trin. 787. Bacch. 1090 etc. Atque eundem usum pronominum notum est extare apud posteriores quoque scriptores ueluti apud Cic. Rosc. Amer. 64; de fin. V I, 1 etc.

β) *haec nox* idem est atque nox hunc quo ego loquor diem proxime antecedens; constanter uerbum enuntiationis constructum est perfecto quod dicimus tempore:

Men. 822 *Nisi quo nocte hac ⟨ex⟩migrasti.*
cf. Capt. 127; Merc. 227. 370; Amph. 548. 731; Curc. 247; Rud. 84. 354. 362. 561. 596; Laber. 69 (Ribb. Com. p. 290).

γ) *haec nox* habet eandem uim atque nox hunc quo ego loquor diem proxime sequens:

Stich. 437 *Iam hercle ego per hortum ad amicam transibo meam,*
Mi hanc occupatum noctem.

cf. Men. 188. Trin. 869. Truc. 688. Cas. III 5, 37 (Casina) *deierauit Occisurum eum hac nocte quicum cubaret.* Vtrum autem dies an nox sit, dum uerba fiunt, nonnullis locis difficile est ad discernendum.

Hinc sequitur *hic* coniunctum cum substantiuo temporali, cui plerumque additum est nomen numerale, constanter significare id temporis spatium, cuius partem praesens dies, quo ea uerba proferuntur, efficit. Atque per accusatiuum quidem, ita ut praesens dies in computationis summa insit, designatur (α) tempus futurum, aut (β), id quod rarius est, tempus praeteritum (uide Brix ad Men. 104. 950; Lorenz ad Pseud. 7):

α) Cist. I 1, 106 *Nunc te amabo, ut hanc hoc triduom solum sinas*
Esse hic et seruare apud me.

cf. Men. 376. 950 (*hos* suppletum a C. F. W. Muellero annal. philol. 1861 p. 263 adnot.); Curc. 208; Truc. 872. 874; Pseud. 283. 321.

β) Cist. II 1, 13 *Ita páter apud uillam détinuit me hos séx dies rúri cóntinuós.*

cf. Amph. 314; Pseud. 9; Men. 104; Sex. Turp. 183 (Ribb. Com. p. 108).

Si uero tempus praesens non comprehenditur illo tempore significato ideoque expressa relatio ad personam loquentem non dispicitur, *hic* pronomini locus non est:

Pers. 137 *Sicut istic leno hau dum sex mensis Megaribus*
Huc est quom commigrauit.

praeterea cf. Epid. 498; Most. 79. 589. 954. 958 sq.; Poen. 1239; Ter. Haut. 118; Andr. 328; Eun. 636.

Haud secus ablatiuo substantiui temporalis *hic* pronomini adnexo indicatur tempus, intra quod aliquid fit, cuius temporis spatio item comprehenditur tempus praesens; atque ad ablatiuum modo adicitur (α) modo omittitur (β) praepositio *in:*

α) Pseud. 316 *ego in hoc triduo . . . euoluam id argentum tibi.* Capt. 168.

β) Pers. 37 *Quos continuo tibi reponam hoc triduo aut quatriduo*

(ita metro suadente cum Guyeto R. olim; *in hoc* codd. et R. opusc. II 265; *in triduo aut quatriduo hoc* Lachmann). Pers. 504; Most. 238; Poen. 872; Ter. Adelph. 520.

Sicubi autem intellegitur certum tempus non pertinens ad id tempus, quo persona loquitur, *ille* pronomen locum habet: ueluti

Phorm. 159 *Non potitus essem: fuisset tum illos mihi aegre aliquot dies.*

In illam quam statuimus pronominis uim egregie illud quadrat, quod eae res, quae manibus tenentur uel feruntur, ab eo ipso, qui tenet uel fert, *hic* pronomine designantur: e. g. *haec palla* est 'palla quam ego manibus teneo uel fero uel qua ego indutus sum' etc.:

Truc. 537 *Hocin mi ob labores tantos tantillum dari!*

Hoc dixit, quia pallium mulier iam tenet uel tangit.

Truc. 582 *Iussit orare ut haec grata haberes tibi.*

Truc. 627 *machaeram longiorem habes quam haec ⟨m⟩e⟨a⟩st* (ita Schoell).

Titin. 31 (Ribb. Com. p. 137) *Patibulo hoc ei caput diffringam.*

Pers. 794 *At tibi ego continuo cyatho oculum hoc excutiam tuom.*

Pers. 816 *Caue sis me attigas, ne tibi hoc scipione Malum magnum dem.*

Truc. 900 *Supplicium ad te hanc minam fero auri.*

Poen. 597 . . . . *Aurumst profecto hoc, spectatores, comicum:*
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boues.

cf. Pers. 261. 262; Poen. 847.

Capt. 1004 *Itidem haec aduenienti mi upupa qui me delectem datast.*

Pacuu. 215 (Ribb. Trag. p. 103) *Repugnanti ego porro hunc ui detraxi ungulum.*

Men. 326 *Iam ego haec madebunt faxo: nil morabitur. haec* sunt cibaria quae ego mecum habeo. cf. u. 330.

Men. 555 *Demam hanc coronam* (= quam ego fero). cf. Men. 130. 199. 202. 349. 466. 477. 480. 525. 530; Rud. 294. 459. 461. 471. 478. 550. 925. 936. 968 sq. 1006. 1037. 1177.

Pers. 775 *hoc mea manus tuae poclum donat.*

Curc. 394 *Catapulta hoc ictumst mihi Apud Sicyonem. hoc* est uulnus meum uel plaga mea quam commonstro tibi.

Quare *haec tabellae* (*litterae, epistula*) uocabulis constanter significantur litterae, quas is qui loquitur manibus tenet uel, si alter eas habet, manu tangit; sed accuratius in eam rem inquiram infra, ubi de *iste* pronomine exponam.

Hinc fit, ut, si quis quid alteri dat, ad designandum id quod daturus est constanter usurpet *hic* pronomen:

Epid. 345 *accipe hoc sis* (sc. marsuppium uel tale aliquid).
Epid. 646 *Accipe argentum hoc, danista.*
Pseud. 647 *tu epistulam hanc a me accipe.*
Truc. 909 *accipe hoc ⟨sis⟩, qui istuc ecficias opus.*
Stich. 762 *Tene tu hoc: educe.* Truc. 541; Stich. 759; Cas. IV 4, 17.
Men. 196 *Sustine hoc, Penicule.*
Men. 202 *Cape tibi hanc* (sc. pallam). Men. 386; Pers. 770; Cas. II 6, 27; Cist. III 7.
Men. 432 *Suscipe ⟨hoc⟩* (ita R. et Brix pro *susscire* codicum).
Men. 1018 *Em tibi etiam: quia postremus cedis, hoc praemi feres.*
Cist. I 1, 117 *Amiculum hoc sustolle saltem.*

Pers. 437. 691; Rud. 465. 467. 469. 481; Cas. IV 4, 10; Curc. 120 et 727 (quo utroque loco *hoc* Fleckeisen inseruit). Cum igitur, si quis quid alteri daturus est, constanter fere *hic* pronomen locum habeat, equidem Pers. 413 *hoc* addendum esse censeo:

Tene sis argéntum ⟨hoc⟩. étiam tu árgentúm tenés?

(Mueller Pl. Pr. p. 214 *⟨Tene⟩ tene sis argentum. etiam*). Contra Truc. 537. 952 *Tene tibi* pronomen *hoc* apte omittitur, quia

facile ex antecedenti uersu suppletur; Truc. 687, ubi propter metrum Bothe et Schoell *hoc* delent, arbitror *hoc* conseruato alia opus esse medela. Atque conicio Plautum etiam Truc. 531 et 533 scripsisse *⟨H⟩is te dono*, quamuis minime contenderim *is* (= *iis*) tolerari non posse, nam *is* repetit notionem antecedentem *ancillae*; in u. 531 *Iste* B, *Istas* CD; in u. 533 *Iste* B, *iste* CD.

Similiter is qui loquitur, dum id quod alterius est tangit uel amplectitur, utitur *hic* pronomine:

Poen. 417 *Nunc opsecro te, Milphio, hanc per dexteram*
Perque hanc sororem laeuam perque oculos tuos,
Per meos amores perque Adelphasium meam
Perque tuam libertatem.

hanc dicit, quia manum alterius prehendit; si non prehenderet, dixisset *istam* uel *tuam* eodem iure atque dixit *oculos tuos*.

Rud. 627 *Per ego haec genua te optestor, senex, Quisquis es;* ad quae uerba senex respondet: *Quin tu ergo omitte genua.*

Truc. 275 *Pignus da, ni ligneae hae⟨c⟩ sint quas habes Victorias,*

ad quae uerba Astaphium respondet: *Ne attigas me.*

Cist. IV 2, 82 *Eloquere, unde haec sunt tibi cito*[1]) *crepundia.* HA. *Mea haec erilis gestitauit filia.*

Halisca tangit manu crepundia.

Men. 191 *Quid hoc est?* (sc. pallium).
Men. 1140 *Quomodo haec ad te peruenit?* (sc. palla).
cf. Rud. 938. 976. 1009. 1022. 1143. 1379. 1390.

Hic pronomine, ubi spectat ad locum, par est constanter denotari eum locum, in quo uel prope quem is qui uerba facit ipse astat uel uersatur; ueluti *hic locus* (*urbs, domus, regio* etc.) est 'locus (urbs, domus, regio etc.) ubi ego sum':

Cist. IV 2, 8 *Loca haec circiter excidit mihi.*
cf. Rud. 211. 227. 250. 270 sq. 284 sq. 1033. 1035.

1) Pro *cito*, quod nisi ad *eloquere* non uideo quo referri possit, Studemund coniecit *loci*, quod cum *unde* aduerbio coniungendum est.

Poen. 950 *Deos deasque ueneror, qui hanc urbem colunt.* Poen. 1009; Men. 261. 263.

Poen. 959 *Is in hisce habitare monstratust regionibus.* Men. 837; Rud. 616.

Trin. 12 *Adulescens quidamst, qui in hisce habitat aedibus.*

Men. 258 *Nam itast haec hominum natio* (= quae in hac urbe uel terra, ubi ego sum, habitat).

Itaque constanter *hic* locum habet ad significandas fores, quas pultat aliquis, uel domum, prope quam astat:

Capt. 830 *Heus ubi estis? ecquis ⟨hic est? ecquis⟩ hoc aperit ostium?*

831 .... *Aperite hasce ambas foris.*

Rud. 413; Trin. 870. 1174; Merc. 129; Stich. 312; Poen. 609; Pseud. 1121. 1134. 1139; Bacch. 582; Amph. 1020; Truc. 255; Curc. 80.

Truc. 638 *Vt ego hisce effringam talos totis aedibus.* (*suffringam* codd.; *effringam* F. Schmidt De pron. dem. formis Plaut. p. 22); amplam ceterorum locorum copiam, ubi *haec aedes* deprehenditur, uide collectam a F. Schmidtio l. c. p. 9 sqq.

Itaque fit, ut *hic* pronomen inseruiat designando ei, qui apud loquentem personam adest:

Poen. 506 *Sicut ego hos duco aduocatos, homines spissigradissumos.*

Poen. 510 *Nequiquam hos procos mi elegi loripedis tardissumos.*

Neque aliter in dialogis *hic* pronomen spectat ad eum, qui prope personas colloquentes uersatur, ubi utrum ille manuum motu uel oculorum nutu monstretur necne, nullius uel parui ad explicandi rationem a nobis institutam momenti est:

Curc. 122 *Tace, nolo huic male dici.* i. e. huic anui.

Curc. 130 *huic quid primum dicam nescio.*

Curc. 506 *Eodem hercle uos pono et paro: parissumi estis hibus.*

Hi saltem in occultis locis prostant, uos in foro ipso.

Vos faenore, hi malesuadio et lustris lacerant homines.

hi sunt homines generis lenonii, quo in numero est hic Cappadox.

Poen. 779 *nam istest huius uilicus.* Poen. 999. 1000. 1007. 1024. 1091. 1092. 1095. 1097. 1199. 1209 sq.

Merc. 753 *Haecine tuast amica, quam dudum mihi Te amare dixti?*

Trin. 441. 706. 1154; Epid. 604; Poen. 772. 797; Pseud. 327; Merc. 757. 971; Pers. 464. 576 sq. 580. 581. 587. 589. 597. 599. 617. 625. 627. 632. 645. 658. 659. 667. 713. 723. 807. 820. 830. 833. 837. 843. 845 sq.; Rud. 702 sqq. 857. 859. 1052. 1054. 1166. 1357. 1403. 1409; Cas. II 6, 71. IV 4, 16. 24 sq. et passim in dialogis Plautinis Terentianisque; alia exempla uide infra, ubi de *iste* pronomine uerba faciam.

Ab hoc usu pronominis *hic* ne ei quidem recedunt, qui in medio colloquio, quod cum altero in scaena praesenti habent, nonnulla uerba de altero ad spectatores conuersi faciunt:

Trin. 892 *Hic homo solide sycophantast. quid ais tu?*

Capt. 848 *Hic uigilans somniat.*

Mil. 1024 *Nullumst hoc* (sc. milite) *stolidius saxum.*

Men. 282 *certo hic insanust homo.*

Curc. 431 *Meus hic est, hamum uorat.*

Bacch. 792 *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.* cf. Trin. 139. 560. 875. 895. 900. 911. 936 (*hunc* delent R². et Brix). 958; Poen. 198. 260. 769; Cist. I 1, 70; Cas. III 5, 46 sq. III 6, 11; Merc. 325. 382. 466. 500. 919. 936. 951; Men. 309. 390. 395; Truc. 265. 269; Rud. 421. 442. 827. 1038. 1317.

Itaque ei quoque, qui prodeunt in scaenam, ab eo actore, qui uerba facit, designantur *hic* pronomine; incipiunt enim eodem loco uersari, ubi loquens ipse est, i. e. in scaena:

Bacch. 1105 *Hic quidem pater Mnesilochist.*

Poen. 960 *Hos percontabor, qui hinc egrediuntur foras.* Capt. 788; Poen. 248. 839. 968; Curc. 103. 110. 112; Merc. 366. 599; Pers. 306. 480 sq. 544. 741. 790; Rud. 334. 1293; 676, ubi Fleckeisen non male (conf. e. g. Mil. 896) scripsit

cesso ego ⟨il⟩las consolari?, cum libri manu scripti exhibeant *ego has*, ambigas, num potius scribendum sit: *Quid ést? quae illáec orátióst? ego césso has cónsolári?*

Ita in deliciis est poetis comicis *quis hic est?* formula:

Mil. 276 *Quis hic est? — Tuos conseruos.*

Men. 487 *Quis hic est, qui aduorsus it mihi?*

Trin. 840; Curc. 229 sq.; Cist. II 1, 58; Epid. 620; Acc. 86 (Ribb. Trag. p. 147). 123 (Ribb. Trag. p. 151); alia exempla collegit O. Seyffert Stud. Plaut. p. 26 sq., qui idem docuit usitatissimum uerborum ordinem esse *quis hic est*, non *hic quis est;* quare etiam Ter. Phorm. 215 legendum est cum BCDFGP libris: *Séd quis hic ést senéx*, non cum A *Sed hic quis est.*

Eadem formula is, qui in scaenam prodit, denotat eum, qui iam antea ibi erat et adhuc adest:

Amph. 1072 *Sed quid hoc? quis hic est senex?*
1073 *Numnam hunc percussit Iuppiter?*
1075 . . . . *Amphitruo hiquidem⟨st⟩ erus meus.*

Si uero is, qui aduenit uel iam adest, ab eo qui loquitur non conspicitur, par est *hic* pronomen non poni (cf. O. Seyffert l. l. p. 26 adn.):

Capt. 835 *Sed quis est? — Respice ad me: Hegio sum.*

hic deest, quia parasitus, quamuis cum Hegione locutus sit, tamen eum non uidet.

Men. 137 *Quis homost? — Ego sum. — O mea commoditas.*

Trin. 1176 *Quis homo tam tumultuoso sonitu me exciuit foras?*

Quae cum ita sint, Stich. 237 ferri nequit, quod R. scripsit:

. . . . . . *Quist quae mi aduorsum uenit?*
Epignomi ancillast haec quidem, Crocotium.

quis haec est quae mihi aduorsum uenit A, *quis haec est quae aduorsum it mihi* (*aduorsũd mhi* B) rell.; cum *haec* usu dicendi Plautino flagitetur — conspicit enim Gelasimus Crocotium uenientem —, in altera uersus parte legendum est aut duce codice A cum Goetzio *quis haec est quae aduorsum uenit*, aut cum Pall. *quis haec est quae aduorsum it mihi.* cf. Men. 487 *Quis hic est qui aduorsus it mihi?*

Etiam is, qui de scaena decedit, a persona remanente uel is, qui in scaena remanet, ab abeunte per *hic* significatur:

Cas. III 2, 28 *Iám hic est lepide ludificatus. miseri ut festinant senes!*

Cas. III 3, 26 *Iam pol ego huic aliquem in pectus iniciam metum.*

cf. Trin. 1110. 1114; Poen. 1367; Truc. 213. 215. 315. 335. 436.

Ad illam quam supra exposui rationem id quoque egregie quadrat, quod is, qui ab altero actore in scaena uersante conspicitur, per *hic* designatur, quamuis ipse illum non conspiciat:

Trin. 851 *Pol hic quidem fungino generest.*

cf. Trin. 868. 1015 sq. 1027. 1030. 1041. 1055. 1135; Cas. II 6, 4. III 5, 8; Capt. 793. 802. 805. 823 sq.

Denique etiam ita *hic* collocatur, ut tertius quidam de altero utro duorum hominum inter se colloquentium uerba faciat ad spectatores conuersus:

Capt. 275 *Nam ad sapientiam huius ⟨ille⟩ nimius nugator fuit.*

Nec uero eos tantum significandi officium habet *hic*, qui in scaena praesentes conspiciuntur, sed etiam illos, qui in domo in scaena conspicua habitant; is enim qui uerba facit, fingit illos eodem ubi ipse sit uersari loco. Qui usus inde ortus est, quod in Plautinis Terentianisque fabulis uel in scaena uel prope scaenam aedes sitas esse fingitur, in quibus ei, qui primas partes agunt, solent habitare. Accedit aliud, quo, quam artus cum prima persona conexus *hic* pronomini sit, dilucide appareat: cum enim ad eas personas, quae uerba faciunt, aliquo modo pertineant ei homines, de quibus uerba fiunt, *hic leno* fere est 'meus leno, quocum ego rem habeo' etc. Adde quod is qui loquitur sine dubio propius eam domum, quam per *haec* significat, astat, quam alter ad quem uerba facit. Denique *hic* etiam de absentibus dici iam Priscianus obseruauit, quamquam parum recte eam exposuit significationem, cum di-

ceret (III K p. 143): »*hic* non solum de praesente, uerum etiam de absente possumus dicere ad intellectum referentes demonstrationem«, quam quidem interpretationem probauit Grysar l. c. p. 69. Ceterum saepe etiam *ille* pronomini locum esse his de quibus agitur condicionibus consentaneum est, quippe quod spectet ad id quod neque adest neque conspicitur. Sed ecce exempla:

Capt. 92 *Nam postquam meus rex est potitus hostium,*
95 *Philopolemus huius Hegionis filius*
Senis qui hic habitat. Aul. prol. 5. 21.

Amph. prol. 146 *Ea signa némo hórum fámiliáriúm*
Videre poterit.

Amph. 359 *Quin me esse huius familiai familiarem praedico.*

Epid. 170 *Ducere uxorem, praesertim eam qua ex tibi*
Conmemores hanc quae domist Filiam prognatam?

Cist. II 3, 68 *Natast haec uirgo, Alcesimarcho quae datur.*

Curc. 71 *Nunc ara Veneris haec est ante horunc foris.* cf. 74.

Epid. 715 ..... *Maxuma hercle iniuria*
Vinctus adsto quoius haec hodie opera inuentast filia.

Trin. 106 *Fuitne hic tibi amicus Charmides?*

Trin. 212 *Omnes mortales hunc aiebant Calliclem*
Indignum ciuitate ac sese uiuere,
Bonis qui hunc adulescentem euortisset suis.

Trin. 601 *Postquam éxturbáuit hic nos nóstris aédibús* (*ex nostris* libri).

Trin. 745 *Perlongumst: huic ducendi interea apscesserit*
Lubido.

Trin. 1183 *Haec tibi pactast Callicletis filia.*

Capt. prol. 7 *Seni huic fuerunt filii nati duo.*

Item dici solet *haec meretrix, hic leno, hic uicinus,* similia:

Truc. 572 *Velut haec meretrix meum erum miserum sua*
blanditia intulit in pauperiem.

cf. Truc. 323; Cist. I 2, 14; Men. 652. 906. 1048. 1135. 1139.

Poen. 423 *Vt ego hunc lenonem perdam.*

Poen. 591 *hunc uos lenonem Lycum Nouistis.*

cf. Poen. 171. 200. 548. 605. 818. 909. 918. 924; Curc. 666; Pseud. 526.

Poen. 154 *At ego hanc uicinam dico Adelphasium meam,*
Lenonis huius meretricem maiusculam.

Cas. III 2, 24 *Atque edepol mirum, ni subolet iam hoc huic*
uicinae meae.

In his conexus qui est cum prima persona dilucide apparet ex pronomine *meus* addito. Cf. Cas. II 8, 41. 66. III 3, 16; Most. 663; Merc. 559; Rud. 350. 433. 479. 484. 892. 1332; Capt. 527. 827; Cas. III 2, 23. III 3, 18; Caecil. Stat. 18 (Ribb. Com. p. 38); uide Spengel ad Ter. Adelph. 332.

Pseud. 896 R. haec temptauit:

Nam hinc méus uicinus áput forum pauló prius
Patér Calidori ⟨a me⟩ ópere petiit máxumo,
Vt mihi cauerem ...

Pro *hinc meus* Fleckeisen maluit *hic meus;* BCD *mihi hic* praebent, quod ideo ab omnibus spretum est hominibus doctis, quia *petendi* uerbum in senario altero a Camerario recte restitutum esse opinati sunt plerique. At longe aliter de his uersibus iudicandum esse docuit Studemund in scholis Argentoratensibus; qui fere hanc potius horum uersuum in A^st^ formam esse demonstrauit:

Nam mihi ui(ci)nu(s áp)ut for(um pauló p)r(ius)
Patér Caludóri óp(er)e edixit (máx)umo,
Vt mihi cauerem ....

Pro *edixit,* quod egregie ex A expiscatus est Studemund, BCD praebent *fecit;* alia autem quaestio illa est, utrum recensioni Ambrosiani obsequendum sit *mihi* (sine *hic*) exhibentis in uersu primo, an cum Palatinis scribendum sit *Nam mi hic uicinus* etc.

Pronomen *hic* recte traditum esse arbitror in BEJ:

Cas. IV 1, 9 *Vilicus hic autem cum corona candide*
Vestitus lauteque exornatus ambulat.

Geppert cum A^st^ maluit *is;* uilicus uersatur in domo uicina.

Neque quicquam mutandum est his tribus locis, ubi pronomen *hic* exaratum est in codicibus:

Cas. V 2, 7 *Vbi intro hánc nouam núptam déduxi* . . .
(ita cum A[st]BEJ [in quo uno *han* legitur pro *hanc*] Spengel *Reformvorschlaege* p. 363, *hac* perperam Geppert).

Trin. 326 *Adulescenti huic genere summo, amico atque aequali meo,*
328 *Bene uolo illi facere, si tu non neuis*
(de pronominibus *hic* et *illic* locum inter se mutantibus uide infra).

Trin. 359 *Lesbonico huic adulescenti Charmidai filio, Qui illic habitat.*
Neque repugnat aduerbium *illic* pronomini *huic*. *Huic* enim est 'ei qui in nostra habitat uicinia'; uerba autem quae sequuntur *qui illic habitat* (i. e. neque hic ubi ego asto neque istic ubi tu astas) pronuntiantur ita, ut simul aedes digitis monstrentur. Trin. 326 et 359 R., cum pro *huic* substitueret *hinc*, aliam effecit sententiam: *Hinc* enim aduerbio indicatur ex multis in ea urbe uel uicinia, in qua sunt loquentes, aliquem eligi, qui quidem nondum sit notus spectatoribus, ueluti Epid. 602 *Hinc Athenis ciuis eam emit Atticus* i. e. nescioquis ciuis huius urbis; Ter. Andr. 833 *Illam hinc ciuem esse aiunt;* Eun. 234 *Conueni hodie adueniens quendam mei loci hinc atque ordinis Hominem haud inpurum;* Men. 790 *At enim ille hinc amat meretricem ex proxumo;* Stich. 431 *Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proxumo.* Ex contrario Trin. 326 et 359 certus quidam intellegitur, qui notus est eis qui colloquuntur.

Quae res cum ita se habeat, etiam Mil. 472 acquiescendum est in codicum omnium memoria:

Quid iam? — Quia hanc attingere ausu's mulierem hic in proxumo.
(*hic in* codd., *hinc e* Acidalio auctore R., Brix, Lorenz); *hic in proxumo* eo aptius est, quia Sceledrus mulierem attigit ante domum Periplecomeni, non domi militis.

Etiam aliis locis librorum memoriam non feliciter mutarunt homines docti:

Trin. 872 *Lesbonicum hic adulescentem quaero in his regionibus.*
hic idem est atque *in his regionibus;* uide Brixii adnotationem et exempla infra p. 195 congesta; *hinc* R².

Merc. 42 *Amare ualide coepi hic meretricem* Bothium secuti R. et Goetz usu dicendi non flagitante ediderunt *hinc;* quod quamuis non falsum sit (= meretricem ex hac urbe oriundam), tamen nihil impedit quin *hic* ponatur, quod aduerbium idem est atque *in hac urbe.*

Eadem de causa praefero codicum Calliopianorum lectionem
Haut. 498 *Simus et Crito Vicini nostri hic ambigunt de finibus*
codici A, in quo *HINC* exaratum est.

Ex coniuncta loci temporisque significatione deriuandus est sollemnis ille pronominis *hoc* usus, ex quo κατ' ἐξοχήν appellatur δεικτικόν:

Mil. 218 *Vigila inquam, expergiscere inquam: lucet hoc inquam. — Audio.*
lucet hoc idem fere est atque 'haec lux lucet', ueluti Cicero dixit *stella lucet, rogus lucet; hoc* autem referendum est ad totum caeli spatium, quod loquentes non solum uident, sed sub quo ipsi uersantur; neque quicquam refert utrum caeli spatium, quod per *hoc* denotatur, maius an minus sit, dummodo aliqui conexus intercedat inter caelum et personam loquentem, ueluti *hic mundus* est 'noster mundus, in quo nos sumus'; utrum autem is qui loquitur motu quodam manus uel oculorum nutu adiuuet uerba sua, quo facilius intellegantur, necne, id nullius momenti est.

Haec quam protuli opinio comprobatur Pacuuii uersibus 86 sqq. (Ribb. Trag. p. 87):

86 *Hoc uide, circum supraque quod complexu continet*
87 *Terram,*
89 *Id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera.*

et Lucretii V 318 *Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem Continet amplexu terram.*

Amph. 543 *Eamus, Amphitruo, lucescit hoc iam.* Vssing mire adnotat: »Tempus non aduerbio, sed pronomine indicatur«; immo indicatur *lucescit* uerbo.

Curc. 182 *Nam hoc quidem edepol hau multo post luce lucebit.*

Ter. Haut. 410 *Luciscit hoc iam. cesso pultare ostium Vicini,* ad quem locum Wagner parum probabiliter adnotat »*hoc* die durch Hindeuten bezeichnete Stelle des Himmels«.

Enn. 279 (Ribb. Trag. p. 55) *Nam ita mihi Telamonis patris, aui Aeaci et proaui Iouis Gratia ecstet atque hoc lumen candidum claret mihi.*

Enn. 302 (Ribb. Trag. p. 58) *Aspice hoc sublimen candens, quem inuocant omnes Iouem.*

Enn. 336 (Ribb. Trag. p. 64) *⟨Hoc⟩ lumen iubarnest, quod in caelo cerno?* (*Hoc* debetur Ribbeckii coniecturae).

Haud aliter poetis Graecis ὅδε Ὄλυμπος idem est atque *hoc caelum*: Sophocl. Ant. 758 ἀλλ᾽ οὐ, τόνδ᾽ Ὄλυμπον, ἴσθ᾽ ὅτι Χαίρων ἐπὶ ψόγοισι δεννάσεις ἐμέ. Aiac. 1389 τοιγάρ σφ᾽ Ὀλύμπου τοῦδ᾽ ὁ πρεσβεύων πατήρ.

Eadem ad primam personam relatio perspicua est in *hoc longe* formula:

Most. 393 *Quid ⟨si⟩ igitur abeamus hinc nos? — Non hoc longe, Delphium* (sc. abite).

dum enim *hoc longe* eloquitur, Tranio monstrat paruolam quidem digiti uel manus partem; *hoc* igitur idem est atque 'hoc tantillum spatium quod ego monstro uobis'. cf. Trin. 483; Cist. II 3, 39.

Vt in his exemplis *hic* pronomine uis demonstrandi una cum relatione ad primam personam continetur, ita etiam alias saepissime re uera *hic* δεικτικόν est, quam ad rem illustrandam perpauca eaque luculentissima sufficiant exempla:

Ter. Adelph. 162 *Tu quod te posterius purges, hanc iniuriam mihi nolle Factam esse, huius non faciam,*

ad quem locum Donatus haec adscripsit: '*huius* autem δεικτικόν est; aut enim stipulam aut floccum mouerat aut summum digitum'. Eodem referri possunt multa ex exemplis supra laudatis, ueluti

Trin. 571 *Oues tam scabrae sunt, tam glabrae, em quam haec est manus* (cf. supra p. 149)

uel Curc. 725 *Noui ego hos pugnos meos* (cf. p. 157), quae uerba dum pronuntiat Therapontigonus pugnos ostendit. Item ubi quis quid alteri dat, ea res, si simul monstratur, pronomine *hic* saepe designatur; cf. supra p. 180. Neque minus ubi complurium inter se colloquentium duo uerba faciunt, tertius qui adest *hic* pronomine ita denotatur, ut manuum motu simul ostendatur, nec secus domus prope colloquentes sita *hic* pronomine designatur, ueluti Most. 753 *Vt sibi liceret inspicere hasce aedis tuas.* Quo factum est ut Donatus ad Ter. Andr. 333 *Nunc si quid potes aut tu aut hic Byrria*, ubi *hic* fortiore ui caret, adnotaret: '*hic* δεικτικῶς quasi efficaciorem ostendit; ergo ad comparationem alterius refertur'. Omnibus tamen locis relatio quam statuimus ad primam personam religiosissime conseruata est, cum, ubi domus prope alterum sita uel persona prope alterum astans denotetur, *iste*, non *hic* pronomini locus sit (uide infra cap. II).

Saepissime *hic* pronomen accuratius explanatur enuntiato relatiuo, cuius usus pauca enumerare exempla satis sit:

Stich. 335 *Iube me omittere igitur hos, qui retinent* (sc. me).

Merc. 869 *Non amittunt hi me comites, qui tenent.*

Stich. 711 *Si horum, quae adsunt, paenitet, Nihil est.*

Mil. 900 *Quis hic amabost, Qui tam pro nota nominat me?*

Mil. 1138 *Neminem uideo nisi hunc, quem uolumus conuentum*

(in BCD post *neminem* legitur *pol*, quod deest in A; quo seruato Ritschl *hunc* deleuit).

Afran. 330 (Ribb. Com. 207) *quis hic est simia, Qui me hodie ludificatus est?*

Enn. 27 (Ribb. Trag. p. 18) *Fer mi auxilium, pestem abige a me, flammiferam hanc uim, quae me excruciat.*

Acc. 557 (Ribb. Trag. p. 208) *Contempla hanc sedem, in qua ego nouem hiemes saxo stratus pertuli.*

Trin. 948 *sed monstra hosce homines mihi, Quos ego quaero.*

Curc. 404 *Sed hunc, quem quaero, conmonstrare si potes.*

Atque saepissime ad *hoc* (*haec*) accedit enuntiatum relatiuum *quod* (*quae*) *ego dico, dixi* uel similia:

Trin. 1167 *Sed sine me hoc aps te impetrare, quod uolo.*
Men. 148 *Dic modo hoc, quod ego te iubeo.*
Pers. 140 *Numquam hercle* ⟨*tu*⟩ *hodie hic prius edes, ne frustra sis,*
Quam te hoc facturum, quod rogo, adfirmas mihi.
Epid. 44 *Quid ego ex te audio? — Hoc, quod fabulor.*
Pers. 814 *Atque hoc, quod tibi suadeo, facis?*
Rud. 1129 *Audi nunciam, Palaestra atque Ampelisca, hoc, quod loquor.*
Poen. 704 *Sed haec latrocinantur, quae ego dixi, omnia.*
Trin. 404 *Estne hoc, quod dico?*
Trin. 449 *Verum hoc, quod dixi, meus me orauit filius.*

Alia exempla, in quibus est *hoc quod rogo*, uide supra p. 164 sq.

Saepius enuntiatum relatiuum pleonastice additur propter uulgarium hominum loquacitatem quandam atque studium omnia quam clarissime pronuntiandi:

Stich. 257 *Neque áliud quicquam nisi hoc quod hábeo pállium*

(ita libri; *quod habeo hoc* R. cum Bothio; Guyetus om. *hoc*).

Men. 166 *Age dum, odorare hanc quam ego habeo pallam.*

Men. 1139 *Eam dedi huic. — Hanc dicis, fráter, pállam quam égo habeo* ⟨*in manu*⟩*?*[1])

Rud. 913 *Neque piscium ullam únciam hodié pondó cepi nisi hoc, quód fero hic in reté*

(hic octonarius anapaesticus legitur in codd.; aliter Fleckeisen). Merc. 672; Asin. 271.

Trin. 488 *Nunc condicionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto,*
Dare atque accipere, Lesbonice, te uolo.
Capt. 872 *Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero.*
Liu. Andron. 20 (Ribb. Trag. p. 3) *Da mihi hasce opes, Quas peto, quas precor.*
Truc. 246 *Velut hic agrestis est adulescens, qui hic habet.*

Contra *id* locum habet

Men. 1105 *sed nunc agite, uterque id, quod rogabo, dicite.*

et Mil. 1014 *Tum pol ego id, quod celo, haud celo,*

ubi *is* eo differt ab *hic* pronomine, quod *is* cum enuntiato relatiuo coniunctum unam notionem efficit et generaliter dicitur, *hic* autem per se certi aliquid significat. Vnde necessario sequitur, ut in enuntiatis, quae adnectuntur *hic* pronomini, constanter ponatur indicatiuus, nunquam coniunctiuus, qui, cum incerti aliquid indicet, ab *hic* pronomine abhorret; uid. Mueller *Nachtr.* p. 140 sq. Si uero coniunctiuo locus est, deest pronomen *hic*, ueluti

Asin. 29 *Dic obsecro hercle serio, quod te rogem:*
Caue mihi mendaci quicquam.

Sed cum etiam hic coniunctiuus ratione careat — designatur enim certi aliquid —, nescio an hoc scribendum sit:

Dic obsecro hercle serio ⟨*hoc*⟩ *quod te rogo:*
Caue mihi mendaci quicquam.

Nunquam autem *hic* pronomen tamquam correlatiuum ad pronomen *qui* ita refertur, ut *hic qui* idem sit atque *is qui*, qui usus peruersus apud posterioris aetatis scriptores deprehenditur.

---

1) conf. Studemund (Ann. phil. CXIII p. 70).

Sed accuratius in hanc rem infra inquirere in animo est, ubi de *is* pronomine disseram.

Vt *hĭc* ita etiam aduerbia ab eo deriuata (*hīc, hinc, huc* etc.) certum cum ea quae loquitur persona conexum exhibent, qui apud priscos quidem scriptores multo artioribus circumscriptus est finibus quam apud posteriores (uide Handii Turs. III p. 75 etc.).

a) *hīc.*

1) *Hic* igitur primum significat eum locum, ubi is qui uerba facit ipse uersatur (= meo loco, ubi ego sum):

Merc. 602 *ubi ego sum? hicine an apud mortuos?*

cf. Merc. 606.

Stich. 622 *Nam hic quidem genium meliorem tuom non facies.*

Poen. 842 *Haec quom hic uideo fieri.*

Poen. 1135 *Pol satis scio impetrarunt, quando hic hic adest.*

Itaque in prologis *hic* saepe significat scaenam, in qua fabula agitur.

Eodem referendae sunt formulae *iam hic ero* (cf. Brix ad Men. 215 et Spengel ad Truc. I 2, 105) et *hic ero atque illi* similia, quae inseruiunt denotandae celeritati:

Most. 792 *Ego hic esse et illi simitu hau potui.*

Neque raro aliae adiunguntur notiones, quibus idem fere quod aduerbio exprimitur, ueluti *hic apud me* (*nos, te, uos*):

Poen. 1053 *Ergo hic apud me hospitium tibi praebebitur.*

Truc. 300 *Nemo homo hic solet perire apud nos.*

Stich. 487 *Verum hic apud me cenant alieni nouem.*

Bacch. 1104 *Certe hic prope mé mihi néscio quis loqui uisust.*

Atque etiam *hic apud te* dici potest, si is qui loquitur astat prope domum uel uersatur in domo eius quocum loquitur:

Capt. 312 *Tam ille apud nos seruit, quam ego nunc hic apud te seruio.*

Truc. 148 *Volo habere aratiunculam pro copia hic apud uos.* cf. 209.

In his paene constans est haec uerborum series *hic apud me* (*te*) (cf. supra p. 157 sq.); cui repugnantes deprehendi hos duos locos:

Ter. Eun. 534 *At tu ápud nos híc mané, Dum redeat ipsa.*

et Merc. 579 . . . . . . *prandium qui percoquat*
Apúd te hic usque ad uesperum. — Em, istuc censeo.

Nec tamen usquam inueni *hic quidem apud nos*, quod Spengel scripsit

Truc. 692 . . . . . . *Strabacem hic opperiar modo,*
Si rure ueniat. — Hic quidem apud nos est Strabax.

Vbi cum et uerbis *apud nos* uis pronominis *hic* satis amplificetur, ut etiam intendi eam per *quidem* particulam opus non sit, et libri *is quidem apud nos est hic strabax* exhibeant, equidem cum Schoellio sic scripserim: *Ís quidem hic apud nos ést Strabax;* cf. Luchs in Herm. VIII p. 111.

Etiam aliae notiones ad pronomen *hic* magis illustrandum adnectuntur:

Trin. 1085 *Vbi nunc filius meus habitat? — Hic in hoc posticulo.*

Most. 950 *Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus?* Trin. 872.

Cist. IV 2, 42 *ecquem uidisti quaerere hic amabo in hac regione Cistellam cum crepundiis?*

Eun. 895 *Domi opperiamur potius quam hic ante ostium?*

2) *Hic* significat uel urbem, in qua is qui loquitur uersatur, uel domum, prope quam astat, uel uiciniam:

Truc. 393 *Me habebat anno, dum hic fuit.*

Bacch. 111 *Namque ita me di ament, ut Lycurgus mihi quidem*
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.

Men. 723 *an mos hic itast, Peregrino ut aduenienti narrent fabulas?*

Haut. 96 *Est e Corintho hic aduena anus paupercula.*

Ita saepissime *hic intus* idem est atque 'intus in hac domo, prope quam ego asto'. Quotienscumque autem *ubi hic* legimus, *hic* totam regionem uicinam denotat, *ubi* aduerbio interrogatiuo locus exquiritur, qui in ea regione situs est:

Mil. 9 *Sed ubi Artotrogus hic est?*

Mil. 1258 *Nescio ubi hic prope adest.*

Pseud. 599 *certum qui id faciat Mihi Ballio leno ubi hic habitet.*

Rud. 1034 *Vbi tu hic habitas?*

Trin. 872 *Lesbonicum hic adulescentem quaero in his regionibus Vbi habitet.*

Ter. Haut. 829 *Vbi Clitipho hic est?*

Afran. 136 (Ribb. Com. p. 155) *Vbi hic Moschis, quaeso, habet, meretrix Neapolitis?*

Eadem uis inest in uerbis *hic in proxumo*, quae saepius coniuncta sunt; neque minus dicitur *hinc ex (de) proxumo* et *huc in proximum*, quae exempla illis statim adiungere liceat:

Cist. I 1, 102 *Sua cognata Lemniensis, quae habitat hic in proxumo.*

cf. Cist. IV 2, 86; Mil. 264. 301. 366. 472 (uide supra p. 188); Hecyr. 341; Haut. 54.

Mil. 1136 *Vna exeuntis uideo ⟨iam⟩ hinc e proxumo.*

cf. Aul. 400. 403; Rud. 404; Stich. 431.

Cas. III 2, 9 *Miror huc iam non arcessi in proxumum uxorem meam*[1]).

1) Etiam *hĭc* pronomini interdum adicitur *ex proxumo:*

Aul. 171 *Nóuisti húnc senem Eúcliónem ex próxumó paupérculúm?*

Aul. 289 *Quoius ducit filiam? —*

Vicini huius Euclionis ⟨senis⟩ e proxumo.

Qui senarius cum mutilus sit, Goetz cum Pylade ⟨*hinc*⟩ *e pr.* scripsit; sed dubito de pleonasmo, *hĭc hinc e pr.*, cuius apta desidero exempla (nam Mil. 472 alia est condicio); *senis* suppleuit Camerarius, cf. Aul. 171.

Cas. III 5, 48 *Era atque haec dolum ex proxumo hunc protulerunt,*

Quare etiam Mil. 134 Bothe et R. scripserunt:

Nam et uenit et hic in proxumo deuortitur.

uenietis in proximo hic Ba, *uenit eius in proximo hic* C, *uenit et is in proximo hic* BcDF; Brix in editione priore: *Nam et uenit et is in proxumo deuortitur*; sed cum *hic* aegre desideretur, Ribbeck edidit: *Nam et uenit is et in proxumo hic deu.* Aduerbium *hic* uocabulis *in proxumo* postpositum est etiam Mil. 366 *Tun me uidisse in proxumo hic, sceleste, ais osculantem?*; Hecyr. 341; Haut. 54.

3) Conexus ille cum prima persona tum quoque seruatur, ubi *hic* designat id, quod is qui loquitur manibus tenet uel tangit:

Bacch. 989 *Vt sciás quae hic scripta sint* (ita libri, nisi quod *sient* habent; *quae scripta sint hic* R.). *hic* est 'in hac epistula, quam ego manibus teneo'.

Cist. III 1, 5 *Nam hic crepundia insunt* (= in hac cistellula).

4) Vbi ad res, de quibus actores colloquuntur uel quas agunt, spectat, *hic* temporalem quidem uim habere aliquotiens uidetur, sed re uera potius est 'in hac re, de qua ego loquor uel quam ego ago':

Epid. 302 *Face modo: est lucrum hic tibi amplum.*

Merc. 307 *Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.*

Pseud. 1257 *Hic omnes uoluptates, in hoc omnes uenustates sunt.*

(ita cum libris Studemund De cant. Plaut. p. 36 et Seyffert De uers. bacch. p. 17; uide Lorenzium in append. crit.).

Trin. 503 *Eheú, ubi usus nil erat dicto, 'spondeo'*

Dicebat: nunc hic, quom opus est, non quit dicere.

pro *hic* R. scripsit *hoc*; sed uide Brixii adnot. ad hunc uersum.

Cas. epil. 2 *Haec Casina huius reperietur filia esse ex proxumo.*

Quibus locis perlustratis sane haesitabis in praepositione *in*

Mil. 969 *Sed quis east? — Senis huius uxor Periplecomeni ⟨in⟩ proxumo.*

Vbi cum *in* non traditum sit in codicibus (*periplectomsi* PI. *proxumo* B; *periplectomensi* PV. *proxumo* C; *periplectomesi* PY. *proxumo* D), equidem legendum esse arbitror cum Ribbeckio: *Periplecomenist.* PYRG. *Proxuma?* uel potius: *Periplecomeni ex proxumo.*

Truc. 779 *Hic nunc uolo scire eodem pacto⟨n⟩ sine malo fateamini* (*hic* delet Schoell).

Mil. 31 *Nolo istaec hic nunc.*

Most. 584 *Quin uos mihi faenus date. quid hic nugamini?*

Stich. 725 *si peccassis, multam hic retinebo ilico.*

Haut. 742 *Etiamne tecum hic res mihist?*

Andr. 720 *facile hic plus malist quam illic boni.*

Itaque ferri uidetur posse quod Bothe scripsit

Trin. 745 *Perlongumst. huic ducendi interea apscesserit*
Lubido, atque ea condicio hic uel primariast;

nam *hic*, pro quo libri habent *huic*, est 'in nostra quam agimus re'; delent pronomen Haupt in Mus. Rhen. VII p. 478, R², Brix, Langen (qui *pol* pro *uel* proposuit); sane *huic* ferri nequit.

In his exemplis *hic* aduerbium, quamquam non longe distat ab usu *nunc* aduerbii, tamen nunquam solum tempus praesens designat. Errauit enim Holtze, cum Synt. I p. 71 crederet *hic* ad tempus pertinere Merc. 218 *Sed quid ego hic in lamentando pereo, ad nauem non eo?*, ubi *hic* spectare ad locum docemur oppositione, quae inter *hic* et *ad nauem* intercedit. Neque rectius Cas. II 2, 24 *Nam hic nunc licet dicere.* ⟨*Solae*⟩ *nos sumus* ad tempus *hic* referendum esse contendit Hand l. c. p. 81, immo pertinet ad locum. Atque ne illud quidem probandum est, quod Holtze l. c. I p. 72 Handium secutus affirmat utramque notionem et temporis et condicionis rei haud raro coniungi in uno uocabulo *hic* (= cum res eo loco sit, cum ita se res habeat, hoc rerum statu), cuius notionis exemplum affert Most. 105 sqq.:

Atque ubi illo inmigrat nequam homo indiligens
Cum pigra familia, inmundus, instrenuos,
Hic iam aedibus uitium additur, bonae quom curantur male.

Ad solum tempus *hic* refert Lorenz, cum *hic* sic interpretetur 'dann sofort'; quod si ita esset, *hic* pertineret ad tempus futurum. Immo poeta indicat causam, cur uitium aedibus addatur; quae cum numquam *hic*, sed saepe *hinc* aduerbio exprimatur, opinor *hinc* pro *hic* substituendum esse.

Et quoniam Lorenzio contradixi, ne id quidem quod Hand affirmat probare possum, cum dicat (l. c. p. 79; cf. Holtze l. c. p. 72): »Et quum *tum* etiam de rebus futuris dicatur, etiam *hic* cum futuro coniungi potest« exemplo usus uno Terentii loco, cuius similem frustra quaesiui in prisca latinitate:

Ter. Andr. 389 . . . . . *hic reddes omnia,*
Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient;

ubi cum *hic* 'in hac re, de qua nos loquimur,' parum aptum sit, cum Spengelio et Dziatzkone *hic* ad enuntiatum antecedens referendum est.

Prorsus denique futtile est, quod auctore Handio l. c. p. 81 haec particula etiam affirmationi inseruire rei uere factae dicitur Ter. Haut. prol. 18

. . . . . *factum hic esse id non negat,*
Neque se pigere et deinde facturum autumat,

ubi *hĭc* intellegendum est (= 'poeta noster', ut saepius in prologis Terentianis), siue cum A *factum hic esse id non negat* scripseris, siue potius cum libris Calliopianis *id esse factum hc non negat* admissa collaqueatione syllabarum *id es(se)*.

β) *hinc.*

1) *Hinc* idem est atque 'a me' cum alibi tum ubi coniunctum est cum sumendi uerbis:

Men. 606 *Aufer manum, Aufer hinc palpationes. pergin tu?*

Poen. 1035 *Maledicta hinc aufer.*

hinc est 'a nobis'; nam etiam Agorastocles, cum ipse sit Poenus, illis uerbis, quibus Hanno Poenus offenditur, ualde laesus est.

Poen. 1351 et 1352 *Sume hinc quidlubet* (in priore uersu *quidem* BCD, *quodlubet* A, *quidlubet* Acidal.).

Pers. 797 *Iurgium hinc auferas, Si sapias.*

Truc. 525 *Sauium pete hinc sis* (*sis pete hinc* codd.). Stich. 688; Mil. 666; Capt. 964.

Alibi *hinc* est 'ab (uel ex) hoc, qui meo loco, ubi ego sum, adest':

Pseud. 614 *Nam haec mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.*

sic libri cum hiatu post *procudam*; *hinc* = ab hoc; *haec* enim per attractionem generis substitutum est pro *hic* (i. e. Harpax).

Ter. Adelph. 361 *Sed eccum Syrum ire uideo: iam hinc scibo ubi siet.*

Hecyr. 246 *Atque eccum Phidippum optume uideo: hinc iam scibo hoc quid sit.*

plurimi codd. Calliopiani pro *hinc* praebent interpretamentum *ex hoc*, quod idem in A super *hinc* a corr. rec. superscriptum est.

2) *Hinc* spectat ad locum, ubi is qui loquitur moratur (= a meo loco, ubi ego sum):

Bacch. 107 *decedamus hinc.* Bacch. 104.

Most. 391 *Vos modo hinc abite intro atque haec hinc propere amolimini.*

cf. Most. 393; Haut. 173; Men. 603; Rud. 134. 1012. 1013; Cas. II 1, 3.

Atque ad abeundi uerbum fere constanter additur *hinc* (exempla congessit Holtze l. c. p. 62 sq.), non *huc* exceptis duobus locis:

Trin. prol. 6 *Nunc igitur primum quae ego sim et quae illaec siet,*
Huc quae abiit intro, dicam.

et Pers. 200 *Illic hinc abiit intro huc. sed quis haec est, quae me aduorsum incedit?*

priorem uersum ita emendandum esse censeo, ut pro *huc* scribatur *hinc* (= a me uel ex hoc loco); in altero autem uersu, ubi *hinc* una adest, *huc*, nisi expungendum est, denotat regionem, in qua Paegnium uersatur, dum *huc* pronuntiat (uide infra p. 203).

3) Saepissime *hinc* dicitur de terra uel de regione uel de urbe, in qua is qui uerba facit uersatur:

Bacch. 249 *Quid hoc, qua causa eum ⟨hinc⟩ in Ephesum miseram?*

Most. 79 *Triennium qui iam hinc abest.* Amph. 640.

Men. 823 *num hinc exmigrastis?*

Ita cum duo inter se colloquuntur, is, qui propius domum quandam astat quam alter, usurpat *hinc* ad eam denotandam (= 'ex hac domo, prope quam ego asto'). Atque saepenumero etiam ambo, qui uerba faciunt, ante domum significatam astant; quod cum ita sit, falso Hand l. c. p. 86 et Holtze l. c. p. 63 contendunt *hinc* etiam de quouis loco, e quo aliquid exeat aut promoueatur, usurpari ideoque pro *illinc* poni; immo ex *hinc* cognoscitur, quo loco persona loquens uersetur:

Mil. 416 *Haec mulier, quae hinc exit modo.*

Sceledrus, qui haec uerba loquitur, propius domum astat quam Palaestrio.

Mil. 154 *Sed foris concrepuit hinc a uicino sene.*

Amph. 333 *Hinc enim mihi uox dextera auris, ut uidetur, uerberat.*

Haut. 173 *sed quid crepuerunt fores Hinc a me?*

(uersus 174 deest in A neque sententia, quae eo continetur, quadrat ad id quod agitur).

Men. 349 *Videamus qui hinc egreditur.*

cf. Most. 901; Ter. Phorm. 604; Eun. 545.

Vno tamen uersu *hinc* non ipsum locum, in quo quis uersatur, sed patriam loquentis significat; *hinc* igitur non idem est atque *illinc*, sed potius *ex mea patria*:

Rud. 503 *Quidue hinc abitio? quidue in nauem inscensio?*

4) Adiciuntur notiones, quae idem fere exprimunt:

Poen. 689 *Ita illi dixerunt, qui hinc a me abierunt modo.*

Stich. 647 *Cadum modo hinc a me huc cum uino transferam.*

Merc. 894 *non longe hinc abest a nobis.*

Amph. 639 *Noctem únam modo: átque is repénte abiit á me⟨d⟩ | hinc ánte lúcem.*

Cist. II 3, 4 *Hinc ex hisce aedibus paulo prius*
Vidi exeuntem mulierem.

Stich. 355 *Ego hinc araneas de foribus deiciam et de pariete*

(sine causa R. pro *hinc* edidit *illim*). cf. Merc. 799; Cas. II 4, 23. II 7, 13; Men. 327 (*hinc* inseruit R.). 870; Andr. 726. 734.

5) De aduerbiis *hinc* .... *illinc* oppositis uide infra cap. III.

6) Eodem iure *hinc* dicitur de iis rebus, quas is qui loquitur manu tenet:

Pseud. 20 *Cape has tabellas: tute hinc narrato tibi.*

Rud. 1101 *Atqui nunc aps te stat: uerum hinc cibit testimonium.*

hinc est 'ex hoc uidulo, quem ego habeo'.

Significat porro rem, unde aliquid sumitur, ut idem sit atque genetiuus partitiuus:

Cato R. R. c. 127 *hinc bibito* i. e. 'partem huius aquae uel uini bibito'.

Hinc aduerbium est 'de hac quam ego dixi causa':

Ter. Andr. 125 ..... *Attat hoc illud est,*
Hinc illae lacrumae, haec illast misericordia.

Bentley coniecit *haec illae*; at uide Klotzii adn. ad hunc uersum; cf. Mil. 294 sq.

γ) *huc.*

1) *Huc* denotat locum, quo is qui loquitur uersatur (= in meum locum, ubi ego sum, ad me):

Men. 822 *concede huc* ⟨*sis*⟩, *filia.*

Asin. 357 *inde huc ueniet postea.*

Rud. 259 *Nam uox me precantum huc foras excitauit.*

Imprimis obseruanda est formula *huc concessero* similesque, quibus utitur is qui aliorum sermonis aucupandi causa in secretum se recipit locum; dum enim ea uerba pronuntiat, uel iam in locum aduerbio *huc* designatum progreditur eoue loco iam adest, uel manus motu oculorumue nutu eum locum monstrat; *huc* igitur est 'in hanc scaenae partem, ubi ego uersor, uel quo progredior':

Most. 687 ..... *huc concessero,*
Dum mihi senatum consili in cor conuoco.

[Haut. 174 *quis nam egreditur? huc concessero*].

Trin. 625 *huc aliquantum abscessero.*

Trin. 1007 *Lubet obseruare quid agat: huc concessero.*

Men. 570 *Huc concedamus: ex insidiis aucupa.* Cas. II 7, 11.[1])

Men. 158 *Concede huc a foribus. — Fiat. — Etiam concede huc. — Licet. —*
Etiam nunc concede audacter ab leonino cauo.

in his uersibus *huc* est 'hunc locum uersus, ubi ego asto'; Menaechmus autem non demonstrat locum a se remotum; qua re actionis et motus celeritas augetur. Atque idem fit in *hinc huc* aduerbiorum coniunctione, ubi *hinc* significat locum uel regionem, de qua actor loquens decedit (= de meo loco, ubi ego nunc sum), *huc* eam regionem, quam ipse aditurus est, ita tamen, ut, dum uerba facit, a loco priore (*hinc*) ad locum alterum (*huc*) transeat:

Mil. 143 *Qua conmeatus clam esset hinc huc mulieri.*

Mil. 200 *ego hinc abscessero abs te huc interim.*

Mil. 329 *Nam nihil est, qua hinc huc transire ea possit.*

Mil. 377 *Nimis* (sic scripsit Studemund cum A^st^) *mirumst facinus, quo modo haec hinc huc transire potuit.*

Pers. 200 *Illic hinc abiit intro huc.*

Stich. 647 *Cadum modo hinc a me huc cum uino transferam.*

(ita codd.; Ritschl sine causa neque apte substituit *huc a me hunc cum uino t.*).

Most. 901 *Nemo hinc quidem* ⟨*huc*⟩ *exit foras* non bene *huc* a Ritschelio insertum est, quia seruus de loco non decedit; neque uocabulo ullo addito opus est, potius cum Studemundo Ann. philol. 1876 p. 71 secundum codicis A uestigia legendus est dimeter anapaest. catal.: *Homo nemo hinc quidem foras exit.*

Neque minus falso

Stich. 675 *Quid ego hinc, quae illi habito,* ⟨*huc*⟩ *exeam, faciam uos certiores*

Ritschl *huc* addidit, quia Stephanium, quae loquitur, a loco quem *hinc* aduerbio designat non abscedit; atque *huc*, quod

---

1) Aul. 666 *Tantisper hic ego ad ianuam concessero* pro *hic* (sic BDEJ) Lambinus bene coniecit *huc*; cf. Rud. 480 *accedam huc ad foris.*

est in uersu proximo (676) *Domo dudum huc arcessita sum*, denotat eundem locum atque *hinc*, i. e. domum Pamphili, ubi habitat Stichus; u. 682 demum, dum uerba *Nunc ibo hinc* pronuntiat, ab illo loco abscedit; quare non est cur a libris, qui *illic* habent, recedamus: *Quid ego hinc, quae illic habito, exeam.*

Ex eo autem, quod de *hinc* et *huc* statui, sequitur necessariam esse *hinc huc* seriem, non dici *huc hinc*; quo ordine Ritschl falso *huc* poetae obtrusit

Mil. 339 *Scin tu nullum conmeatum ⟨huc⟩ hinc esse a nobis?*

concinnius Ribbeck dedit *hinc ⟨huc⟩*. Nec male Mueller Pr. Pl. p. 561 et Luchs in Herm. XIII p. 501 commendant *conmeatum hinc ⟨isto⟩ esse*; nam Sceledrus, ad quem haec uerba dicta sunt, astat prope fores Periplecomeni domus (cf. u. 310. 329. 377. 418, qui uersus Sceledro a Ribbeckio recte tribuitur, u. 337 *istic* i. e. 'ubi tu, Sceledre, stas', u. 342 sq. *istas foris* et *istinc*), Palaestrio autem prope militis domum, quae ab ipso per *hinc* aduerbium significatur. Displicet tamen pronomen *isto* inter uerba *hinc* et *a nobis*, quae arte inter se cohaerent, collocatum. Itaque nescio an hiatus in dihaeresi tolerandus sit.

Quae res ansam praebet ad improbandam Fleckeiseni in emendando uersu Amph. 264 rationem:

Néque ego hu⟨n⟩c hóminem has⟨ce⟩ hódie ad aédis ⟨hinc⟩ sinam úmquam accédere.

libri BDEJ cum hiatu hoc exhibent *Néque ego huc hóminem hódie ad aédis hás sinam úmquam accédere*, quem ad hiatum remouendum post *hominem* adde *hunc*, uel transpositis *huc* et *hunc* uerbis lege cum Studemundo Ann. philol. 1876 p. 58: *Néque ego ⟨hunc⟩ hóminem huc hódie* etc.; de pleonasmo *huc ad aedis has* cf. imprimis Cist. II 3, 4 *Hinc ex hisce aedibus paulo prius Vidi exeuntem mulierem.* Most. 950.

Cas. II 7, 13 *Hinc ex insidiis hisce* (*hic* B).

Bis deprehendi *hinc illuc* aduerbia coniuncta, quae ratio alia est:

Cist. IV 2, 32 *Neque prorsum iit hac: hic stetit: hinc illo exiit: hic concilium fuit.*

illo (= *illuc*) recte significat locum, ubi Halisca non est; nam ex

uerbis sequentibus *hic concilium fuit* apparet eam de priore loco non abscessisse; mox autem legitur *hinc huc* in eiusdem scaenae uu. 34 sq.: *Sed is hac abiit. contemplabor: hinc huc iit: hinc nusquam abiit.*

huc eundem significat locum atque alterum *hinc*; nam Haliscam, dum haec uerba profert, priorem locum mutasse docet uerbum *contemplabor*.

Enn. 189 (Ribb. Trag. p. 40) *Imus huc, hinc illuc: cum illuc uentumst, ire illinc lubet.*

Vt in his exemplis ita saepissime *huc* est 'in hanc domum, ante quam ego asto', non idem atque *illuc*:

Aul. 334 *Huc intro abi ad nos.*

Aul. 243 *Nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere.*

Merc. 942 *ac mecum huc intro ambulas.* Pers. 200.

Si uero neque is qui loquitur neque is ad quem uerba fiunt prope domum significatam astat, dicitur *illuc*, ueluti

Aul. 329 *atque intro abi illuc* (sic Camerarius).

2) *Huc* aduerbio persona loquens non tam locum ubi stat designat quam se ipsam, ut sit fere idem atque 'ad me':

Rud. 726 *Tu senex, si istas amas, huc arido argentost opus.* (*amas* B, *amabas* CD).

Poen. 1049 *Agedum, huc ostende: est par probe, ⟨q⟩uam habeo domi.*

Truc. 116 et 118 *respice huc.*

3) Adicitur alia notio, quae id, quod *huc* aduerbio continetur, accuratius explicat: praeter exempla modo laudata haec affero:

Cas. III 4, 7 *Vt traduxisti huc ad nos uxorem tuam.*

Truc. 397 *Nunc huc remisit ad me epistulam.*

Truc. 592, ubi Spengel scripsit:

Atque ut huc ⟨ré⟩ueniat óbsecrató. — Licet,

mihi magis arridet Schoellii scriptura:

Atque ut huc uéniat ⟨ad me⟩ óbsecrare. — Ílicet.

Cas. III 2, 1 conicio Plautum hoc dedisse:

Vt properarem arcessere hanc ⟨huc⟩ ad me uicinam meam. Geppert hoc temptauit: *hanc ⟨hinc⟩ ad me.*

Etiam *huc ad te* (*uos*) dici potest, si ii qui loquuntur atque qui appellantur eodem loco sunt:

Cist. cateru. 1 *dum illi huc ad uos exeant.*

Amph. prol. 20 *Pater huc me misit ad uos oratum meus.*

Truc. 369 *Benene ambulatumst? — Huc quidem hercle ad te bene.*

In hac uerborum coniunctione *huc ad me* (*te*) aduerbium demonstratiuum constanter ponitur priore loco; quare hi uersus aliter atque uulgo restituendi sunt:

Men. 432 *Ého, Messénio, ⟨ád me⟩ accéde huc. — Quid negótist? — Súscipe ⟨hóc⟩.*

scribendum est *Messenio, huc accede*, qua de emendatione quamuis dubitanter iam Ritschl cogitauit.

Most. 1026 cum libris recte Seyffert Stud. Plaut. p. 22:

Quaeso édepol, húc me aspécta et réspondé mihi.

cl. Amph. 750 *Sosia, age me huc aspice. — Specto*; Men. 145 *Age me aspice.* Ritschl peruerse: *⟨ad⟩ me huc specta.*

Capt. 263 Koch Emend. Plaut. p. 6 perperam

Secede ⟨ad me⟩ huc: nam sunt quae ex te solo scitari uolo;

Fleckeisen rectius:

Secede huc: nam sunt quae ⟨ego⟩ ex te solo scitari uolo.

Merc. 788 *Vt ueniat ad me iam simul tecum ⟨huc⟩. — Eo.* ubi, nisi uerear ne audaculus uidear, collato Most. 930 (*Curriculo iube in urbem ueniat iam simul tecum. — Licet*) correxerim: *iam simul tecum. — Licet.*

Merc. 555, ubi libri Palatini duas recensiones exhibent, quarum altera cum A consentit haec:

Nunc tamen interea ad me⟨d⟩ huc inuisam domum,

altera usitatum ordinem praebet:

Interea tamen huc intro ad me inuisam domum.

Alia autem ratio est

Truc. 479 *Sóleas mihi ⟨de⟩dúce, pallium inice in me huc, Archilis.*

huc enim aduerbio locus umeri demonstratur, quo iniciatur pallium.

4) *Huc* attinet ad id quod mihi accipiendum erit:

Pers. 665 *Tuo periclo sexaginta haec da⟨bi⟩tur argenti minis.*

669 *Heus tu, etiam pro uestimentis huc decem accedent minae.*

5) *Huc* igitur cum prima persona arte conexum cum uel 'ad me' uel 'ad hunc locum ubi ego sum' etc. denotet, ferri nequit his locis, ubi coniecturae hominum doctorum uel librariorum errori debetur:

Most. 689 *Igitur tum accedam huc, quando, quid agam, inuenero.*

huc ACD, sed B recte *hunc* i. e. 'eum qui in hac scaena prope me adest'. Idem B bene *hunc*

Truc. 824 *Neque ut hinc abeam neque ut hunc adeam scio.*

ad hunc CD, *huc* peruerse Spengel, cf. Langen *Beitraege* p. 102.

Ritschl, ut euitaret accentum *áccedám*, scripsit:

Most. 717 *Accedam ⟨huc⟩. di te ament plurumum, Simo.*

at uocabulo addito opus non est; cf. Spengel *Reformvorschlaege* p. 128.

Most. 468 sq. R. et Lorenz hoc dederunt:

TH. *Abscedite.* TR. *Aedis ne attigatis. tangite*
Vos quoque terram. TH. *Obsecro hercle quin intro imus huc?*

(libri praebent *hercle quin eloquere*). Qua in Ritschelii emendatione num acquiescendum sit, ualde dubito; nam cum *quin* in eius modi enuntiatis usque inseruiat adhortationi, Theopropides, si Ritschelianam lectionem sequimur, Tranionem, ut secum ineat domum, monet; at seruus ei iam dudum persuasit domi neminem habitare et si quis introierit ei mali aliquid instare: neque *huc* in fine uersus alibi locum habet; accedit, quod cum his Theopropidis uerbis id non congruit, quod Tranio in u. 470 respondet *Quia septem menses sunt*, unde apparet illum imperasse, ut seruus sibi diceret, cur pedisequos iuberet terram tangere.

Itaque cum *eloquere* hic locum habere necesse sit, arridet mihi haec, quam O. Seyffert exempli gratia proposuit, coniectura:

Obsecro hercle, e l o q u e r e q u i ⟨d q u i d e s t⟩.

δ) *horsum.*

Eadem fere uis atque in *huc* inest in *horsum* aduerbio composito, quod significat 'ad me (nos) uersum': Rud. 175; Mil. 304; Ter. Eun. 219; Hec. 450.

Etiam aduerbia temporalia a pronomine πρωτοτρίτῳ deriuata semper pertinent ad ipsum tempus quo quis loquitur:

ε) *abhinc.*

Abhinc (= 'ab hoc tempore quo ego loquor') temporis momentis retro numerandis inseruit:

Bacch. 388 *Nam ut in Ephesum hinc abii (hoc factumst ferme a b h i n c biennium).*

cf. Cas. prol. 39; Stich. 137; Ter. Andr. 69; Hec. 822; Phorm. 1017; Turpil. 133 (Ribb. Com. p. 101); Laber. 13 (Ribb. Com. p. 281).

Most. 493 . . . . . . *Mirum quin uigilanti diceret,*
Qui a b h i n c sexaginta annos occisus foret[1].

De Pacuu. 21 (Ribb. Trag. p. 80) uide Lachmannum ad Lucr. III 954.

---

1) Etiam hoc loco anni retro numerantur a tempore loquentis, non ab illo tempore praeterito, quo ille mortuus narrauit et quo Tranio eiusque dominus Philolaches domo exmigrauerunt, quae uidetur esse opinio Lorenzii et Holtzii Synt. I p. 101 Maduigium (*Bemerk. ueber versch. Punkte d. lat. Sprachl.* p. 65 adn. 3) secutorum. Ceterum *annos* pro *annis* correxit Guilelmus Abraham in supplem. Annal. philol. XIV 232. — Hand Turs. I p. 64 statuit qua ui *abhinc* eadem *hinc* semel usurpatum esse a Plauto Truc. 340 sq.:

Me nemo magis respiciet, ubi iste huc uenerit,
Quam si h i n c ducentos annos fuerim mortuos.

ϛ) *antehac, antidhac.*

(cf. Ritschelii opusc. II p. 557 sqq. 564 sqq. et P. Langeni Anal. Plaut. III p. 8 sqq.).

Epid. 539 *Di boni! uisitaui ⟨húnc ego umquam⟩ á n t i d h a c?* cf. Epid. 12. 99; Amph. 458. 566. 711; Asin. 861; Aul. 396; Bacch. 539; Capt. 244; Cist. I 1, 1. I 3, 50; Cas. prol. 88; Most. 31. 731. 933; Mil. 841; Pseud. 16. 620; Poen. 752. 955; Rud. 967. 993; Stich. 759; Truc. 165; Ter. Andr. 187. 303. 917; Haut. 270; Adelph. 86. 250; Phorm. prol. 4; Turpil. 21 (Ribb. Com. p. 87). 167 (Ribb. Com. p. 106); pall. inc. inc. 96 (Ribb.).

ζ) *posthac.*

Posthac est 'post hoc tempus, quod nunc est, dum ego loquor'; cf. Hand Turs. IV p. 507: »una est huius uocabuli significatio, quae a praesenti tempore ad posterius uocat« et imprimis P. Langen 'Beiträge' p. 258 sqq.; nusquam non ad id spectat, quod tempore futuro longius durabit, uel ad certam agendi rationem, qua quis futuro tempore recedens a praesenti faciendi modo usurus est (= 'von jetzt an, in Zukunft, zukünftig'):

Stich. 499 *Certumst mustellae p o s t h a c numquam credere.*

Most. 433 *Verum si p o s t h a c me pedem latum modo*
Scies inposisse in undam etc.

436 *Apage apage te a me nunciam p o s t h u n c d i e m.*

cf. Poen. 278. 449 (*post hunc diem*) et 460 (*posthac*). 747; Pers. 489. 778; Capt. 756. 910; Men. 695; Mil. 156. 572. 1426; Stich. 38; Bacch. 1087; Asin. 137. 854; Rud. 194; Cas. V 4, 22 sq.; Merc. 1020; Most. 710; Trin. 1187; Truc. 307; Ter. Andr. prol. 26; Eun. 898; Haut. 347; Adelph. 135.

Sed cum alibi nusquam *hinc* talem habeat uim, quin *abhinc* cum Fleckeiseno Ann. philol. CI (1870) p. 617 emendandum sit,dubium non est:

Q u a s i ⟨ab⟩h i n c ducentos annos fuerim mortuos.

565; Hecyr. prol. II 49 (= 57); Phorm. 142; Turpil. 26 (Ribb. Com. p. 88); Caec. Stat. 140 (Ribb. Com. p. 58); de Amph. 797 uide infra cap. V.

η) *praeterhac.*

Similem atque *posthac* uim habet *praeterhac*:

Men. 725 *non, inquam, patiar praeterhac, Quin uidua uiuam.*

cf. Men. 112: Most. 75; Rud. 1117.

ϑ) *dehinc.*

Nec dissimiliter *dehinc* est 'ab hoc tempore':

Trin. 838 *Apage a me sis: dehinc iam certumst otio dare me.* (*dehinc iam* A; *deinde hinc* Pall.). cf. Asin. 111. 858; Cas. I 1, 6; Poen. prol. 125. 374. 1029: Merc. 1000; Eun. prol. 14. 296. 872; Adelph. prol. 22; Andr. prol. 22. 190.

ι) *adhuc.*

Adhuc = 'usque ad hoc tempus, quo ego uiuo':

Capt. 385 *Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo.*

cf. Capt. 960; Amph. 248; Bacch. 942; Curc. 105; Mil. 590; Pseud. 1116; Truc. 794; Ter. Haut. 175; Adelph. 122. 621. 631; Andr. 262; Phorm. 479. 905 et passim.

(Reliqua propediem edentur in Studemundi Studiis II apud Weidmannos Berolinenses.)

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.